

[redacted]

CAPTA RVPECVLA, CRACINA SERVATA,

AVSPICIIS, AC DVCTV Christianissimi Regis, & Herois Inuictissimi,

LVDOVICI XIII:


DESCRIPTA VTRAQVE

Ab P. PHILIBERTO MONETO, de Societate IESV.



LVGDVNI,
Ex Officina IOANNIS PILLEHOTTE,
Sumtibus IOANNIS CAFFIN, & FRANCISCI PLEIGNARD, ad insigne Nominis IESV.

CIↃ IↃC. XXX.





ILLVSTRISSIMO,
AMPLISSIMOQVE
CARDINALI
RICHELIEO
SALVTEM, ET
FELICITATEM,

PHILIBERTVS MONETVS,
de Societate IESV, *cliens*
obſequentiſsimus.

SVPERIORIS anni menſe Aprili, ac Maio, priuatis tabulis conceptum hoc Opuſculum, inſequente Iunio publi-

cam lucem poterat aſpi-
cere, niſi Lugdunenſium
Prelorum impeditior eſ-
ſet adminiſtratio, quàm
vt eis commodè vtere-
mur. Tuis verò auſpi-
ciis, CARDINALIS
ILLVSTRISSIME,
deſignatus, & ex ea de-
ſignatione expreſſus hic
Libellus, & in perpe-
tuo tuarum virtutum
argumento verſatus, in-
teriore quadam perfu-
ſus luce, viſus eſt præ-
ſagire tuum in hanc vr-
bem.

bem aduentum, ideóque interpellatæ ad hoc tempus editionis ſuæ mora non mediocriter gaudere: vti mox à prelo ad ſacros pedes tuos aduolutus, ſe, mancipio, ac nexu, tuum ab incunabulis eſſe fateretur. Hac prolis mente, ac profeſſione, parenti iucundius nihil, nihil opportunius accidere potuit, qua ſuum erga te animum in concipiendo fetu, in eodémque

dedicando consilium liquidissimè expressum esse intelligat: quod, & obsignatis tabulis, & verbo, quoad fieri potest clarissimè, iteratò profitetur, ac confirmat.

LIT



LITTERARIÆ IVVENTVTI GALLICÆ,

S.



D Tyrum, Alexander: Marcellus, ad Syracuſas: ad Carthaginem Ibericam, Africanus Maior: Minor Africanus, Punicam ad Carthaginem, & operoſi, & fortes, & illuſtres rebus geſtis, & bellatorum

torum clariſsimi, meritò ab ſummis viris prædicati ſunt, & reipſa fuerunt. Ad circumvâllatam Rupeculam, æquè negotioſum: æquè animis, & manu valentem: æquè graui, ac diuturno bello inclytum: æquè, vel eò etiam ampliùs triumphalem Victorem, LVDOVICVM IVSTVM, tibi deſcribo. Eum ſcilicet vallis, & caſtellis circumcludentem Perduelles: frenis, & compedibus deuincientem

tem Maria: finitimis Insulis exigentem exercitus Britannicos: ternas, ex Anglia prouectas, aperto Oceano fundentem, fugantémque Classes: ac in Britannorum oculis expugnantem Rebelles Rupeculanos: hoc est, totidem, vnici belli opera, exprimentem Alexandros, Marcellos, Æmilianos, Africanos, Heroëm Inuictissimum, tibi suspiciendum, depingo. Atque, tametsi hæc omnia plenissimè

mè tibi comperta ſcio, vel eorum ſermone, qui auctores cum LVDOVICO res ipſas geſſerunt: vel illorum ſcriptione, qui rebus gerendis adfuerunt ſpectatores: haud dubitauero tamen, quin illis ipſis iteratò perlegendis animum adiectura ſis, cùm Latinè tibi ſcripta, tibique dicata intelliges, nec penitùs abhorrentia ab veteri Latinorum Hiſtoricorum formula obſeruabis. Quòd autem vertentis anni vndetri

detriceſimi ſit hæc editio, quæ futura fuerat eiuſdem ineuntis: niſi tumultuantibus Lugduni pauculis Calchographicis Operis, libraria prela multos iam menſes interquieſcerent: ex illa importuna voluminis mora, ille tuus, mihi notus, legendi ardor haud, opinor, refrigeſcet. Cuius noſtri Commentarioli ſi gratam tibi accidiſſe lectionem deprehendero, inde mihi confeſtim ſuccreuerit non mediocris alacritas,

critas, ad illuſtria quædam argumenta, Romanis Scriptoribus minimè tentata, maximè celebrata Gallicis, in rem tuam Latino ſermone, ac non ineleganti, diuulganda. Vale, ac ſalue.





CAPTA RVPECVLA, CRACINA SERVATA,

AVSPICIIS, AC DVCTV Christianißimi Regis, & Heroïs Inuictißimi,

LVDOVICI XIII.



VPECVLA, vrbs eſt maritima, ad occiduum Gallię Oceanum, exiguo impoſita æſtuario, in ipſis Pictonum, & Santonum finibus, ſua peculiari vtroſque inter regione, quam *Alniſium* vocant, obſcuris, & tenuibus orta primordiis, nec longiùs, quàm quingenteſimum ab hinc annum, cui ma- *Rupecula Vrbis ortus, & progreſſus.*

ritimæ negotiationis opportunitas paullatim copias, & celebritatem conciliauit: diuturnæ verò, & contrariis ſtudiis incenſæ Gallorum, & Britannorum in Aquitania factiones, ad illud tandem claritatis faſtigium, quo iam centeſimo ferè ſplendet anno, ex occaſione prouexerunt. Alniſium porrò, circumiectam Rupeculæ plagam, indigenæ, ac rerum huiuſce generis periti, tradunt eſſe Pictonici agri propriam, tametſi, iam inde ab vrbis exortu, & Alniſium, & Rupecula, in rebus ſacris, Mediolanio Santonum Epiſcopo; in rebus profanis, Inculiſmæo Prætori, vſque in hanc diem paruerunt. Quamdiu autem naſcens Rupecula merum caſtrum fuit, deinde & caſtrum, & caſtro circumiectus vicus, poſteà grandior

dior pagus,& demùm mediocre oppidum, duabus diſtinctum parœciis, in Mauleoniæ gentis ditione fuit,quæ turbidarum toto eo tractu rerum nacta occaſionem,Rege Ludouico Iuniore grauibus alibi diſtento negotiis, Alniſium,& maritimæ oræ inædificatas quaſdam arces ſibi priuatim vindicauit, neque multò pòſt & oppidum Rupeculam,& Alniſium agrum,amiſit,Guillelmo, Pictonum poſtremo Comite,vtrumque per vim occupãte. Nuptiis deinde Eleonoræ,Pictonici Comitis filiæ, ac hæredis, cum eodem Ludouico Rege contractis, Rupecula, & Alniſium in Regiam rediêre poteſtatem, in qua fuerunt annis non pluribus tredecim.Nam iuridico conſeſſu Gallicani Cleri, iuſtis ex cauſis,ſolutum cùm eſ-

ſet illud connubium,& Eleonora Henricum Andegauenſem, Neuſtriorum Ducem, poſteà Regem Anglorum, ſibi deſpondiſſet coniugem,cum ipſa Pictonum prouincia, ad Britannos tranſiit & Rupecula, & Alniſium,ingentiũ, & diuturnorum bellorum vtroſque Reges inter, ac populos,ſeminarium. Ea Rupeculæ,& Alniſij exteram in ditionem migratio contigit anno ſupra milleſimum centeſimo quinquageſimo, & altero, eorumdémque reditus in poteſtatem Ludouici Octaui,Gallorum Regis,incidit in annum ab milleſimo ducenteſimum viceſimum quartum,quo anno Ludouicus contumeliis, & iniuriis Britannici Regis indignum in modum laceſſitus, in Aquitaniam armatus contendit,Britannum

Rupecula primùm ad Britannos tranſit.

num instructa sternit, & fundit acie, obuias vrbes vi capit, Rupeculam obsidet, acriter premit, & ad deditionem vehementi oppugnatione adigit. In cuius deditionis recensenda historia, Rupeculani huius temporis Scriptores, ex ingenij sui, hoc est, Caluiniani, fide prorsus versantur, cùm impudentissimè asserunt, eam non coactam, sed voluntariam fuisse. Constat quidem ex illius æui Scriptoribus, Aquitanos, Santones, Pictones sæuo Britannorum dominatu miserè vexatos, sub eo gemuisse, atque in Gallicæ ditionis summo, & perpetuo fuisse desiderio, cuius planè suauis animo adhuc hæreret memoria. Certum item est, Rupeculanos ea obsidione ab Rege Britanno fœdè illusos, ac destitutos ita esse, vt is apud

Ludou. Octauus, Gall. Rex, Rupeculã armis vindicat.

omnem eius vrbis ciuitatem grauiſſimum ſui odium concitarit,atque, niſi aliud quoddam Rupeculanorum eſſet cõſilium, voluntariæ deditionis anſam præbuerit. Certiſſimum tamen eſt,qui ſuæ tutelæ, ac ſpontis ab initio ſemper eſſe cupiiſſent, & contendiſſent, neutrius autem, nec Gallicæ, nec Britannicæ ditionis, Rupeculanos Gallicis armis ad deditionem eſſe compulſos. Quos,vt ſibi,ac poſteris beneuolentiores præſtaret,primus omnium Gallicorum Regum, idem Ludouicus Octauus, ipſo deditionis anno,luculentis multarum immunitatum,& vacationum diplomatis liberaliſſimè proſecutus eſt. Ex ea deditione perſeuerauit Rupecula,& Alniſium in Gallicani Principatus manu, ad annum vſque ab milleſimo

Rupeculanorũ ab ortu ingenium.

lesimo trecentesimum sexagesimum primum, quo ex Bretiniensibus pactis, conuentis, Santones, Pictones, ac eadem Rupecula, & Alnisium, in pretium redimendi captiui Ioannis, Gallorum Regis, iteratò ad Britannos transierunt. Annum quidem solidum suppliciter, ac perquàm studiosè institerunt Rupeculani per ea tempora, vti ne inuiti Britannis dederentur, & cùm iussu Regis essent reapse dediti, alium perstiterunt annum in eo consilio, vt ne Britannum vllum intra suos muros admitterent: verũ ea non erat propriè caritas, & obseruãtia in Francos Reges, quam ipsi adeò dilaudant, ac efferunt, & cuius nomine omnia summa sibi iure ab Francis Regibus, & vniuersa Francia deberi stolidè autumant: sed reuerà

Rupecula iterũ ad Britãnos transit.

erat odium,& fuga sęuissimi dominatus Britannici,ac nihil prætereà. Hoc perpetuum, ab ipso ortu, Rupeculanis fuisse ingenium,vt sui arbitrij,ac iuris semper esse contenderint; nullius mortalium sincera beneuolentia ducti fuerint; alterius cuiusquam nihil,omnia perpetuò sua dũtaxat causa dixerint, cogitarint,fecerint,perfacile sit homini,penitùs non inerti, ex eorum rebus gestis conuincere. Oppignerati Britannis Rupeculani ab Ioanne Rege, minùs duodecim annis pigneratitio illo defuncti sunt munere, ac onere, perpetuò deinceps in Gallorum futuri manu, quòd ea prouinciarum, ab captiuo Ioanne extorta, pigneratio non visa sit Carolum Quintum filium, deinde Regem,nec cæteros Galliæ

Rupeculani sui iuris esse student.

Princi

Principes, ac Proceres potuisse iure obstringere. Quamobrem, cùm repetendis rebus, irrita illa fiducia traditis, publicę ad arma itum esset, trecentesimo, & septuagesimo anno secundo supra millesimum, Bertramo Guesclinio, strenuissimo Heroë, Gallicæ militiæ veteri ex formula Magistro, breui receptis ex Anglo vniuersis Santonum vrbibus, Rupeculani classe, ac terrestri exercitu pressi, paucis diebus & ad vrbem, & ad seipsos dedendos, summa vi adacti sunt. Quæ verò tunc se prodidit Rupeculanorum eximia hilaritas, cùm, excipiendis Principibus Francię, & Gallico exercitu, prodeuntium obuiam faustæ acclamationes exauditæ sunt, is fuit sensus, non gratulantium Regi suam victoriam, sed ab fœda

Carolus Quintus Gall. Rex Rupeculã recipit ex Britãnο.

tyrannide ad honorificam libertatem, Regio beneficio, & ſibi felice deditione, tranſeuntium. Enimverò, quod ſæpiùs in hoc argumenti genere inculcandum eſt, ingenuæ, ſinceræq́ue voluntatis, ac fidei nullum Rupeculanorum erga ſuos Reges factum vmquam exſtitit: omnes ipſorũ artes, & vniuerſi conatus eò ſemper ſpectarunt, vt infinita importunitate exprimendis ab Regia munificentia immunitatibus, Regum, Regiorúmque Magiſtratuum iuriſdictioni ſe penitùs ſubducerẽt. Perpetua itaque tributorum omnis generis remiſſione, & vacatione omnium munerum fruenda, cùm copiarum & virium, per diuturnam prouinciæ quietem, tantùm congeſſiſſent, & ſuarum, non Regis, nec Regni, rerum eſſe cupe

Rupeculani ſtatum liberæ ciuitatis affectant.

cuperent,ac ſtuderent, excubabant in occaſionem nouarum in Regno partium, quibus ſe adiungerent, ſi quidem è re ſua eſſe viderentur. Ipſorum porrò ſtudiis maximè cõſentiens dogma Caluinianum, ſed Lutherani adhuc titulo per initia ſuperioris ſæculi, & Inculiſmæ, & Auguſtoriti Pictonum, & finitimis Rupeculæ oppidis,pagis, caſtellis, furtim per ſubterraneas cryptas, condebatur, & clandeſtinis conciunculis habendis,codicilliſque ſpargendis, propagabatur. Eius dogmatis arcana, & myſtica quædam ratio,quòd nec in cælo,nec in terra, vllos Præſides,nec vllum imperium agnoſcit, abſolutam libertatem ſibi animo deſpondentibus Rupeculanis, viſa eſt ad rem ſuam maximè conſentanea. Cùm igi-

tur, eius sæculi anno tricesimo quarto, Lutetiam, & Principes cæteras Galliæ vrbes maximè conturbassent illius sacrilegi dogmatis publicè proscripta quædám seditiosa, & exsecranda capita, insequente anno, magna spe adsciscendi, per turbidarum rerum nebulas, illius noui dogmatis, apud Rupeculam coniuratum est clanculum in gratiam Ibericarum in Gallia factionum; sæuiùs recrudescente bello inter Franciscum, Galliæ Regem, & Carolum Cæsarem. Enimverò, qui superioribus annis Hugonotica placita combiberant auidissimè, quæ Lutheranismi notiore tunc nomine designabantur, congruens item eiusmodi institutis simul hauserant, & assumserant ingenium, vt Regiis beneficiis aduersùs

Rupeculani hæresim combibunt.

uersùs eos ipſos, qui contuliſſent, maximè abuterentur. Lutheranos, Sacramentarios, & earum ſectarum affines, Franciſcus Rex priùs iuſſerat exſulare: hoc autem eodem anno ſæculi triceſimo quinto, ſpe melioris adductus frugis, Princeps clementiſſimus publico edicto exſulibus fecit noxæ gratiam, ea lege, vt ad Catholicos ritus ex animo redirent. Sed optimi Principis clementiam Rupeculani ex Caluiniano more ſic interpretati ſunt, quaſi eos omni officio abſolueret, & cuiuſuis licentiæ, ac proteruiæ faceret poteſtatem. Ad res temerè nouandas ferocibus Rupeculanis ſubminiſtrabat audaciam rei ſuæ politicæ ratio liberior, quàm pro ciuibus, Regiæ ditioni penitùs obnoxiis. Ad ea ſcilicet vſque tempora, &

politi

politicos, & iuridicos Magistratus vniuersos suæ lectionis, ac sui omninò iuris,& arbitrij semper habuerat Rupecula, quo prærogatiuo Regum beneficio, nullo nec patriarum Legum,nec Regiarum Sãctionum respectu, insolenter abutebatur. Franciscus igitur Rex, vt insolentis ciuitatis perpetuam eam contumaciam opprimeret, vrbani summo iure Præfecti,quem Maiorem vrbis, veteri Francorum nomenclatione, appellant, ex suo corpore quotannis legendi potestatem ei abrogauit, & Carolum Chabotium,Iarnaci Dynastam,Rupeculæ, & in Alnisio, Regias cum imperio vices obeuntem, perpetuũ Vrbis Maiorem creat, suæque ac posterorum Regum nuncupationis id munus deinceps esse decernit.

Francisc. Primus Rex, Rupeculanũ Maiorem sibi legẽdum sumit.

Quam omnium maximè auerſarentur, valentiùs, atque in tempore inflicta Rupeculanis plaga, ſic ferociores affecit animos, vt grauius aliquid viderentur reformidare: non tamen ita ſuppreſſit, vt poſſent conquieſcere, niſi vt ad ſimulatam obſequentiam ſe aliquantiſper componerent. Nam, ſeptimo poſt illud acceptum vulnus anno, ſalarij tributi grauitatem prætexentes, & Rupeculani, & eis finitimæ inſulæ, nouos iteratò conflant, & ad arma ſpectantes motus, quibus iuſtiſſima Franciſci Regis ira ſic laceſſeretur, vt eò armatus ſe conferret. Is autem Inculiſmę aliquamdiu ſubſiſtendum ratus, liquidiùs periclitandæ contumaciæ gratia, armatos manipulos intereà ſummiſit, qui ab Chabotio introducti Rupeculam,

culam, idonea ſtationibus loca occuparent: vniuerſa tormenta in arcem comportari, ciuitatem priuatis exui armis, & vniuerſos ciues ad ſe Inculiſmam citari,ad dicendam cauſam iuſſit:ac,præmiſſis inſtructis equitibus, ingreſſurus in vrbem, quemquam reorum ſibi prodire obuiam, campanum æs ſacrarum ędium concuti, quidquam ſibi per gratulationem acclamari,aut pro ritu ineuntium vrbes Principum, fieri vetuit. Itaque ſilenti comitantium agmine, & ciuium ſtupente turba, Rupeculam maximè attonitam cùm occupaſſet, perduelles humaniſſimè ad flagitij purgationem poſtridie admiſit:atque,tametſi obiecta non eluerent crimina,inanes ſatisfacere conantium rationes pro legitimis ratas habuit, ea conditione,

Franciſcus Primus rebellem Rupeculā armis occupat.

tione, vt pertinaces in Lutheranismo,& omni cętera hęresi, hac venia excluderet. Sexto post hanc admissam, nec purgatam noxam anno, & decimo tertio quàm Maioris sui quoque anno creandi prærogatiua exciderant, Henrico Secundo, Francisci patris successori, genibus supplices aduoluuntur, & multa importunitate obsecrant, vt prærogatiuum illud ius, Maioris suo ex corpore semper creandi, de integro sibi reddatur. Humanissimus Princeps facilè sibi passus imponi ab vafris, & simulatè officiosis hominibus, eam gratiam indulsit postulantibus, qua deinceps perpetuò aduersùm se, ac filios deinde Reges, perfidioso, & sacrilego animo, abuterentur. Nimirum, qui diutiùs contumacibus pręfuerat, Francisco, quàm

Henrico

Henrico longè notiores fuerant Rupeculanorum verſatiles, ac fraudulenti animi, quos eapropter, ſuppreſſis iuſto potentioribus, eóque audacioribus Magiſtratibus, in officio continendos ſapientiſſimè iudicauerat. Enimverò, quibus adminiſtris, Politicæ, ac Forenſis rei Præſidibus ſuis, Regij principatus iugum excuſſuros ſe cogitauerant, niſi ab Franciſco ea deiicerẽtur machina, in eamdem pòſt paullò machinam bona fide ab Henrico ſublati, perfidiæ tormentis ex eâ libratis, Regiam auctoritatem conuellerunt, & ab ſe procul exploſerunt. Totidem planè annorum tirocinio, & aſſidua meditatione, quot ab Rupeculæ ortu numerantur, ſe compararunt Rupeculani, vt quorum Regum ingentibus, & aſſiduis beneficiis in

Rupeculani Regum beneficiis aduersùm Reges semper vsi.

in immensum copiarum proue-hebantur fastigium, summa quęque tandem adepti, se, per atrocissimum flagitium, ipsorum subducentes imperio, in eorum exitium, euocatis, & intromissis in Galliam exteris gentibus, coniurarent.

II. Exigendorum ex Alnisio, Rupecula, & finitimis insulis Regum suorum diu agitatum consilium Rupeculani apertè, ac palam prodiderunt, vicesimo anno, quàm deiectos Maioris creatione Henricus eos in integrum restituerat, & vndecimo, quàm ipse vita decesserat, eius sæculi anno scilicet sexagesimo octauo, qui, vt illius tempestatis alij plerique anni, Galliæ funestus in primis fuit. Biennio antè Amator Blandinius, vir honestus, ac probus, & eximiæ in suos Reges

Rupeculani Regium iugum excutere student.

Reges fidei, cùm Rupeculanum Maiorem optima fide ageret, pertæſus Caluinianarum factionum, quæ Rupeculam, vti pleraſque Frãcicarum vrbium, perderent, Carolum Nonum Regem, omnium machinationum, quæ ab factioſis ſtruerentur, ſtudiosè commonefecerat, vti, Regia auctoritate interpoſita, Maioris Magiſtratu excluderentur in poſterum, qui ex damnato factioſorum cœtu ad id muneris deſtinabantur, quorum ipſe perſcribebat indicem. Oſtendebat, pleroſque de ſuis ciuibus clandeſtina, & frequentia pridem inire conſilia cum iis Galliæ Pròceribus, qui regnum turbarent, ac niſi obſiſteretur, perditum irent; icto inter vtroſque fœdere, conueniſſe, vti nemo deinceps eorum Magiſtratuum parti

particeps Rupeculæ fieret, qui ciuicæ lectionis essent, nisi de coniuratorum ordine. Significabat designari Vrbis Maiorem insequentis anni Truchærium, seditiosum hominem, Hugonoticis partibus addictissimum, quo, ciuitati, ad exitium sponte incumbenti, præfecto, nequidquam obnitentibus Regiarum partium studiosis, ac probis ciuibus, necessarium esset, Rupeculam Regia exire ditione, ac Catholica fide excidere. Blandinius itaque Regio rescripto iubetur Truchærij lectionem, aut apertè vetare, aut certè idoneis suscitatis competitoribus, sic interpellare, vti certam repulsam pateretur Truchærius, quam & omninò passurus erat, nuncupatis, & ad Regem perscriptis, claris duobus, præter Truchærium,

ciuibus,quorum vtrumlibet ſibi prælatum iri tertius ille haud vtique dubitaret.Ea deſperatione perculſus Truchærius,Iarnacium, Alniſiæ prouinciæ,ac Rupeculæ Regia vice Rectorem, ſibi patronum cauſæ periclitantis depoſcit,Blandinio , & cæteris ciuibus infenſum eo nomine, quòd non ad ſe , verùm ad Regem detuliſſet de tribus , in Maiorem deſignatis, optionem. Iarnacij ergo,& aliorum è nobilitate Procerum litteris impensè Regi commendatus Truchærius optatum Magiſtratum impetrat , iubetúrque ipſe Blandinius Regiis ad eum litteris,cùm Magiſtratu exiret, Truchærium ex auctóritate Regia , veteríque ciuitatis ritu,Maiorem Vrbis renunciare. Tametſi non dubitaret Blandinius , quin Regi ab iis impoſi

impoſitum eſſet,qui,priuatis ſeruientes commodis, nullo publicæ rei ſtudio ducerentur,tamen quia tergiuerſandi nullus relinquebatur locus, vti erat iuſſus, Truchærium, decedens Magiſtratu,ſibi pro more ſubrogauit, eáque defunctus opera, mox ad Regem aduolauit, denunciaturus,& in ea vrbe, & in finitimis prouinciis, ex creatione Truchærij ſubſecuturas grauiores communi opinione calamitates: neque ſecùs accidit, quàm ipſe ſapienter præſagierat. Nam,qui, anni ſexageſimi ſeptimi Maio menſe, Magiſtratum iniuerat Truchærius, ciuitatem omnem eò adduxit,vt,icto cum perduellibus fœdere, inſequentis anni menſe Februario,Rectorem Vrbis ex Coniuratorum corpore Hermineum admitteret, eidem

diceret

Rupecu-lani se dedunt Regum hostibus Hæreticis.

diceret sacramento,& damnatæ illi nefariorum causæ omni ope, ac opera se adfuturum iureiurando confirmaret, atque Caluiniano insuper dogmati mox sese palam, & publicè addiceret. Huius tanti mali, pro suo merito,princeps luit pœnas, loco deturbatus,Iarnacius,cuius inconsiderantia, eo, quod tueretur, planè indigna munere, Truchærium ad ea gubernacula prouexerat, ex quibus commissam nauem in exitium adigeret. Qui Coniuratorum tota Gallia familiam ea tempestate ducebat, & ingentia Teútonum in Galliam euocabat agmina, cupiditatis oculos multò antè in Rupeculam adiecerat, vt, si qua posset industria, suas in partes pelliceret, futuram, & eo tempore, & deinceps, suis consiliis magno-

perè

perè opportunam,tantóque ſtudioſiùs illi occupandæ animum intenderat,quòd ciuium pleroſque Caluiniana labe infectos reſcierat,& omnium ingenia ad nouandas res ſponte comparata nouerat. Eò confeſtim aſylum ſibi delegerunt tota è Gallia transfugæ Caluiniani, ibi erecta arx rebellionis,inibi ſtructa omnium coniurationum officina, & inſtitutum armamentarium oppugnandi & regni, & Regum Galliæ. Paucis menſibus, quàm Rupecula in Rebellantium partes auidè conceſſerat, Regem inter, atque Rebellionis auctores conciliata pax fuerat, & Aprili menſe, ſicut cæteris in vrbibus, Regium imperium detrectantibus, ità Rupeculæ,iuſſu Regis,publicè pronunciatũ eius diploma, cuius pacis beneficio,

& grauium noxarum venia, Rex feroces animos Rupeculanorum delinitos ratus, ad officium inuitandos per litteras sibi humaniter sumsit. Id perbeneuolè cùm fecisset, certa quædam postulatorum adiecit capita, & ea quidem iustissima, sed haud magni momenti pleraque, quorum vnum dumtaxat ex parte impetrauit. Optauerat, vti Iarnacius, nuper Alnisij, & Rupeculæ ipsius, Regia vice Præfectus, vnà cum stipatoribus Equitibus, ad intermissam Præfecturam rediret, qui ad id muneris quidem, sed, sine armato comitatu, in Vrbem admissus est. Postulata verò sua vrgentis Regis iteratos sæpiùs nuncios cùm illiberalibus, ac superbis responsis perpetuò accepissent, vt tandem felicioris euentus omnem exspectatio

ctationem Regi præciderent, ſuarum partium Proceres quoſque de Pictonibus in vrbem inducunt, ipsúmque adeò tota Gallia Rebellãtium primarium Caput,longè in Æduis ſummotum,ſtudioſiſſimè accerſunt, atque ad ſe inde pertrahunt. Publicè initæ pacis inter vtraſque partium vix in omnes Regni prouincias rumor manauèrat, cùm,nouitate rei obſtupeſcente Rege,& Catholico nomine vniuerſo, tum armatæ Coniuratorum cohortes tota ex Gallia, tum ipſe adeò Rebellium Dux, nominatim euocatus, cum inſtructo exercitu Rupeculá mox aduolauit. Coniurationis igitur ſigno in ea vrbe recèns ſublato,præter eum exercitum, qui iam copioſus eò conuenerat, occultis itineribus, ac pænè in-

uiis, accurrunt vndique maiores aliæ copiæ,ſtructo,& armato palam agmine, quibus freti Rebelles, Rupecula infeſtis erumpunt ſignis, & armis in Catholicas Pictonum, & Santonum vrbes, opinione recentis pacis nihil ab hoc hoſtium genere ſibi metuentes, paucíſque menſibus vtramque Prouinciam, quantumuis repugnantem, ſuis adiungunt partibus. Per occaſionem recèns tranſactæ pacis, aberant ex vrbibus,& præſidiis plerique Præfectorum, cùm Rupecula eruperunt hoſtiliter armati perduelles,quibus Pręfectis mox accurrentibus, & in hoſtem, nondum ſatis munitum, communia arma inferentibus, vrbium occupatarum non paucæ Rebelliũ manibus extortæ ſunt, maximè autem, quæ Rupecu-
lam

lam propiùs contingerent. Colignius interim, Hugonoticæ Causæ Caput alterum, Rupeculam interioribus,& exterioribus operibus muniebat diligentiſſimè,quo abſente, Noüeus Rupeculano præſidio Præfectus, ſumma contentione munitiones accurabat. Cantabrorum Rex Antonius, Aquitanis Franciſco Primo Rege Præpoſitus, Rupeculam ſibi ſumſerat validis cingendam munitionibus, quarum nonnullas abſoluerat, inchoatas cæteras reliquerat, & ex eis, quæ Hugonotico inſtituto congruebant, Colignius perficiendas mandauit, alias mutauit, & his omnibus quaſdam etiam ſuo ex ingenio adiecit, & vrbem omni genere propugnaculorum ita firmauit, vt ei, aduersùs Catholicos tegendę,præ- *Rupeculani vrbē muniunt aduersùm Reges.*

ter murorum cinctum illum extra vetera mœnia duplicem, vix posteà quidquam accesserit. Ab illa violata ab Hugonotis pace, anni vndeseptuagesimi, continentibus ferè annis quatuor, acerrimè tota Gallia pugnatum est aduersùm Rebelles, quorum vires attritæ cùm essent non mediocriter, Iarnacio, & Moncontorio prœliis celeberrimis, & aliis minoribus non paucis, cæsis insuper duobus ipsorum primoribus Ducibus, de exscindenda tandem Rupeculana Lerna, seriò cogitari cœptum est, anno eius sæculi septuagesimo altero exeunte. Extremo scilicet Nouembri, Bironius, summus Gallicarum Machinarum Magister, Strossius, Francici Peditatus Prætor, & bello clari eis adiuncti Duces Puigallardæus,

Cossi,

Cossinius, Gardillanus, Rosicrius, Dugasius, cum delectis antecesserant militibus ad capienda Castris loca, & sternendam viam Andegauorum Duci, Regis Caroli germano, propediem cum expedito exercitu, ad obsidionem, subsecuturo. Horum opera, totis campis Rupeculæ circumiectis, deiectæ sunt molendrinæ, auersi aquarum riui, diruta munitiora castella, exstructæ munitiones ad maritimi Sinus Ostia, designata, & circumfodi cœpta ampla castra, &, iustis fossarum interuallis, erigi castella. Hos antegressus fuerat Lagardeus, octonis adductis ad Carantonij amnis Ostia quadriremibus, secuturis posteà duodecim vastis nauigiis, quibus Rupeculani æstuarij os obduceretur. Subsequentis anni Februa-

Rupeculam obsidet Andegauorũ Dux.

rio ineunte, auſpiciis Caroli fratris, ſuo ductu, obſidionem adminiſtraturus, Andegauorum Dux valido exercitui, quem ducebat, & ſibi, tabernacula in caſtris inchoatis erigi iuſſit. In Imperatoris comitatu erãt Fratres eius duo, germanus vnus, nothus alter, Cãtabrorum Rex, Princeps Condæus, Longivillæus Dux, ex Regia omnes ſtirpe; Niuernius, Guiſius, Aumalæus Duces: &, ex primaria Galliæ nobilitate, ſelecta quæque capita. Manè Caſtra inierat Imperator cum toto exercitu: pomeridianis ſtatim horis, Noüeo duce Rupeculani magno tumultu eruptionem inſtituere, Cognenſi ad ortum porta, rati ſe feſſis, & imparatis trepidationem, & ſtrãgem inuecturos. Primorem hunc petulanter ferocien

cientium hoſtium impetum ſibi excipiēdum depopoſcit Dux Guiſius,&, cū minimè copioſa, ſed delecta pugnatorum manu, in Rebellium denſos ordines ea vi, ac celeritate impreſſionem fecit, vt pænè momento primos manipulos ſterneret, conſcinderet, reliquos loco pulſos ad ipſas vſque portas vrbis fœda cæde multatos, nullo de ſuis deſiderato, ageret. Cùm autem tertio Idus Februarias ab vniuerſo exercitu ventum eſſet in Caſtra, vndeviceſimo poſt eum diem die, productis, toto vrbis ambitu; ad idoneum iactum munitionibus, per Regium Fetialem iuſſi ſunt Rupeculani, & ſe, & vrbem dedere, quibus deditionem detrectantibus, Cognenſis porta, & ei circumſtructæ turres, ac propugnacula de-

cem ingentibus tormentis diuerberari cœpta ſunt. Tres dumtaxat dies,eóſque non continentes,ſed longioribus diuiſos interuallis,cùm ad illam portam quatefierent mœnia, tam vaſta iis eſt illata labes, vt irruptionem veriti perduelles, aliquot horarum inducias, & colloquium poſtularent, quod ab humaniſſimo Principe impetrarunt,tametſi liquidò apparebat, captari ab eis tempus muralis ruinæ ſarciendæ, & ponè adſtruendi terreni aggeris. Quadrimeſtri Rupeculæ obſidione, poſtulantibus obſeſſis,quater ad colloquia ventum, ſed obſeſſis Hugonotica ſemper fide agentibus, vt per condictas induciarum horas omnibus inſidiis noſtros appeterent, quaque mœnium, ac munitionum regione,

omne

omne missilium genus in castra eiacularentur. Quin,& eò perfidiæ animum adiecere, vt, octauo Idus Iunias, missis ad certas deditionis conditiones caduceatoribus in castra, intereà dum de iis conferuntur capita, animaduerso recèns salutato Polonorum Rege in nostris munitionibus, haud procul suis muris, percussorem subiicerent, qui è columbario vicinę turris funestam ei glandem catapulta intentaret. Regis verò armiger Vina, prominente obseruato catapultæ tubo, Regem tanto impetu prorsùm impulit, vt pænè deturbaret, ipséque in appetiti Regis locum progressus, emissam glandem oblato excepit corpore, eáque traiectus interiit. Eodem porrò tempore libratam aliam in se catapultam Rex de-

Rupecu-lani necẽ per indu-cias mo-liuntur Polonorũ Regi.

clinare non potuit,ſed,quòd minutioribus plumbi calculis ſufferta eſſet, ſine pernicie, mitiorem illam peſtem collo,manu,& ſumma coxēdice hauſit.Noüeus autem, bellicæ rei experientiſſimus, & armis clarus, Rupeculanis pridem ab Colignio præfectus, triceſimo ipſo die, quàm vrbs cœpta eſſet oppugnari, poſt irrita bina colloquia, ràtus vrbem defendi non poſſe,ſi, qua vi oppugnata in eum diem eſſet,deinceps premeretur, Rupecula egreſſus, cum delecta nobilium manu, ad Principem adiit in Caſtra, miſſionem,bona eius venia,impetraturus, quam, honorificè cum comitatu acceptus,facilè exorauit, ac domum ſuam cum pace conceſſit. Eximij Ducis ea deſtitutio Rupeculanos conturbauit quidem

Noüeus Rupeculam obſeſſam deſerit.

maxi

maximoperè, ſed Regium, ac legitimum imperium ſemper exoſos homines non penitùs ita fregit, vt ferina deſperatione adacti, non mallent ſuis obrui mœnibus, aut pugnando perire, quàm ſe optimo Principi dedere. Quoties in noſtros eruptionem tentauere, quod frequenter accidit, fuſi, ſtrati, & in vrbem multa ſua ſtrage compulſi ſunt: neque feliciùs eis dimicatio cecidit, propugnantibus patentes murorum, & caſtellorum ſuorum labes, vehementiore impetu noſtris per eas irrumpentibus. Tametſi verò omnibus vrbis regionibus mœnia & propugnacula tormentis quateſierent, & principio ab Cognenſi porta, excitatis ingentibus ruinis laxior aditus in vrbem ſterneretur, noſtrique foſſam ea

plaga obtinerent, ſumma tamen machinationum vis, inde tranſlata, in Euangelij propugnaculum, ad Boream, incubuit, quòd, licèt omnium ampliſſimum, ac muniriſſimum erat, experimento certè compertum eſſet, patefacto aditu fore ad irrumpendum opportunius. Hoc autem, quà incutiendis tormentis, quà ſuffodiendis cuniculis, immenſis hiatibus apertum, & ſuis pænè conuulſum ſedibus cùm eſſet, octonis tota obſidione impreſſionibus validiſſimè appetitum, ſed minùs validè, ac conſtanter à benè multis de irrumpentium acie, quàm potuit, ac debuit. Quam porrò omnium vehementiſſimam irruptionem eſſe oportuit, ante ſeptimum Calendas Iunias, coëuntibus ad eam vniuerſis Principibus, maxima nobili-

Rupecula obſeſſa octonis impreſſionibus appetita.

nobilitatis parte, ac toto pænè exercitus robore, cunctarum ea fuit ferè imbecillima, magno eorum vitio ſcilicet, qui ſua maximi putarent intereſſe, ne Rupecula caperetur. Hanc eorum culpam cùm animaduerterent Principum quidam, ſubſidiis ad ima aciei latera præfecti, quauis ope, ac opera conniſi ſunt, vt tanti momenti erratum emendarent, quibus cùm ſua ſtudia non ſuccederent, niſi, per confertum agmen, in primos ordines penetrarent, quò minùs id facerent, ab ipſo Imperatore præſente ſunt prohibiti. Quatuor horarum fuit illud prœlium, in quo Magnus Galliæ Prior ex Meliteniſibus Proceribus, idémque Imperatoris frater nothus, Dux Guiſius, Dux Niuernius, Monlucius, Coſſinius, Dalonius,

Dalonius, Pariſſolius, Lauallius, &c. alij non pauci, virtutem ſuam mirificè probarunt:ſed alij multò plures,& dolo, & ignauia effecerunt, vti eo die non caperetur Rupecula, quam nullo tempore captam vellent. Cæteris omnibus, ante & poſt hanc, impugnationibus, fortiſſimè ab iis, quos modò diximus, & aliis nonnullis, ſemper dimicatum eſt, ſed quò minùs in vrbis intima perrumperetur, factum eſt, vel non idonea laxitate muralis hiatus,vel pugnatorum paucitate, qui ſibi munus id depoſcerent,proſpeculandę muralis ruinæ magis gratia, quàm oppugnandæ conſilio.Quo de genere oppugnationum, ad periclitandas muri labes comparatarum, prima, & vltima de octonis omnibus fuere celeberrimæ, atque paucis

paucis nostrorum, sed strenuissimis bellatoribus, acciderunt gloriosissimæ. Omnium primæ, ad octauum Idus Aprilis, Dugasio, fortissimo Centurioni prouincia est imposita, vti dispiceret, quàm altè, & quàm latè Euangelici propugnaculi murus esset labefactatus, cui ad inspectionem armato, cum delecta manu, procedenti, se comites cupidè adiunxerunt Niuernius, & Guisius Duces, Guisiíque germanus Marchio *Meduanus*, Cossinius, & de nobilitate lectus globus. Sublimis, & arduus erat ad ruinam muri ascensus, eò tamen summa virtute peruasit lectissima pugnatorum phalanx, sed minor, quàm pro multitudine propugnantium mœnia, quam nihilò tamen minùs insultantem repressit, & in quin-

denos

denos passus propulsauit, & eam frangeret penitùs, si subsidiarij ponè sibi adessent, qui, & latera pugnantium tegerent, & diuturna dimicatione fatigatis in tempore succederent, atque nisi tanta vis missilium ignium grassaretur, vt à prœlio inuitos auelleret. Guisium, & Cossinium, in primore depugnantes acie, infesta illa flamma tam acriter comprehendit, vt eius opprimendæ non alia fuerit ratio, quàm vt auulsi à prœlio, in subiectas mœnibus fossæ aquas se toto corpore demergerent; quorum absentia, & grauia insuper Niuernij, Meduani, Dugasij, Clermontij vulnera, receptum nobis à pugna iniunxerunt. Altera, de celebribus, atque omnium vltima irruptio incidit in sextum Idus Iunias, cùm Polonorum

norum Rex, eius frater Dux Alanſonius, Cantabrorum Rex, & de Proceribus numeroſum agmen, prodiere ad ipſas, Euangelico propugnaculo ſubſtratas, noſtrorum munitiones, vbi tricenæ ſcalæ hoſtili moliendo aggeri comparatæ eſſent, quibus admotis conſtaret, ecquid impedimenti ſupereſſet ad impreſſionem, vbi aggerem terrenum diſieciſſent inflammati cuniculi. Spectatorum, eo clariſſimæ dimicationis theatro, ingens fuit numerus, ſed pugnatorum exigua caterua, cui poſt diuturnum, & laborioſiſſimum prœlium, quòd ſummiſſa ſubſidia nec fortiter, nec celeriter, nec idoneo ſucceſſerant loco, aut cedendum, aut nullo compendio pereundum fuit. Stratis tamen, & fugatis hoſtibus, penetrarunt in

vrbis

vrbis intima clarissimis orti natalibus, Reüillius, Castelnauius, Centurio Vertelius, & alij quinque, quorum fortitudo inclyta Rupeculanis miraculo, ac stupori fuit, vt non sint ausi, nisi procul intentatis catapultariis glandibus, extremam vim afferre. Hi octo Heroës, gloriosissimè fuso pro Rege, ac patria sanguine, immortali suæ gloriæ abundè parentarunt, vt nemo deinceps ipsorum funus cohonestauerit, quorum si fortunatum ductum subsequerentur sexageni alij ab tergo strenuè prœliantes, & hos subsidia exciperent, aperiretur totis castris eo die laxissimus in Rupeculam aditus. Capi ergo potuit Rupecula, tametsi capta non est, & expugnari sæpiùs, quàm eo die potuit, quæ, vti non caperetur, à plerisque, de Ca-
stren

ſtrenſibus Proceribus,arte,dolo, perfidia non minùs ſtudioſè pugnatum èſt,quàm à probis, & fortibus ſtrenuè dimicatum fuit,vt capta exſcinderetur. Expugnari eo exercitu poſſe, qui tùm obſidebat,nec Noüeo forti, & bellicis rebus claro duci,eam deſerenti, nec Rupeculanis toties ad colloquia decurrentibus, nec Mõgommerio, quadraginta & ſex nauium inſtructo claſſe,ad oſtia Rupeculani Sinus,fracto,& fugato, nec bonis illis viris, qui, ſubornando ad perfidiam Caſtrenſi milite,tam ſedulam operam Hugonoticis partibus nauarunt: his, inquam, omnibus, quin Rupecula tum capi poſſet,dubium eſſe non potuit.Rupecula, inquam, tum capi non potuit,tametſi potuit, quia eius tantò munitioris, celebrationis, con

Rupecula ne caperetur, per quos ſteterit.

contumacioris,magè perduellis, ſceleratioris, omni venia indignioris capiundæ, ac mœnibus funditùs exuendæ Iuſto,& Magno Ludouico gloria immortalis diuinitùs differebatur. Huic autem hominum generi, Vrbis eius expugnationem prohibenti, grauis erat præſentia, & ductus Andegauorum Ducis, ſalutati nuper in Polonorum Regem,cuius ſcientia,virtus, experientia rei militaris, ac inſuper eximia aduersùm Rebelles in prœliis felicitas, omninò perſuadebat,vti certò exſpectarent expugnationem Rupeculæ,paucorum menſium prorogata obſidione. Opportuna itaque ipſorum conſilio, ac ſtudiis, &, ſua quidem ſponte, illa ſe offerebat machina diſiiciendæ penitùs obſidioni, vt iis ipſis ſuaſoribus

ad eam ſoluendam adhibitis, qui Polonico negotio præfuiſſent, admoneretur Rex ſeriò, elapſura de manibus multo labore quæſita longinqui regni ſceptra, niſi, ſoluto mox obſidio, ad Polonos euolaretur. Hæc omnium potentiſſima ad inſtitutam oppugnationem diſturbandam ſcitè, ac properè admota machina, Rupeculanorum perfoſſa obſtruxit mœnia, ſubruta reſtituit, & inſtaurauit propugnacula, ſupplementis idoneis redintegrauit exſtincta pænè militaria præſidia. Ad eam igitur adornandam profectionem, pactis induciis, & ſoluta exeunte Iunio obſidione, paucíſque diebus ſubſecuta cum Hugonotis pace, dimiſsíſque exercitibus, ſe, ex hoc euentu, Catholico nomini formidabiles ratis Rupeculanis

ij accesserunt spiritus, quibus subnixi ea auderent in suos deinde Reges, quæ nemo exspectaret, extra quàm illo ex hominum genere, quos hactenus descripsimus. Henrico quidem Tertio, decessu fratris Caroli Noni ex Polonis reuerso, & ad Regni gubernacula hæreditatis iure admoto, se contumacissimos semper adhibuere, tum ex auito illo suæ ciuitatis, quod ostendimus, instituto, tum ex proprio suæ Sectæ ingenio, omne Præsidum genus proteruiùs detrectante, sed ex concepto maximè in eum nominatim Regem odio, quem tametsi æquissimum,& humanissimum sæpiùs experti, Hugonotico nomini hostem censebant,sine causa, & vocabant. Hic scilicet aduersùs eius Sectæ Rebelles felicissimè semper

ſemper pugnauerat, multis vi-ctoriis clarum ſibi nomen exi-mij Imperatoris fecerat, Hugonotorum vires attriuerat, ſic tamen, vt nulla ſua victoria, niſi moderatiſſimè vſus vmquam eſſet, quam gloriam & ei magnoperè inuidebant, & ex ea inuidia, velut infenſum ſibi, nulla præbita cauſa, oderant. Hic, quò minùs Rupeculanos ad officium iuſtiſſimis armis adigeret, perpetuis quorumdam Gallicorum Procerum diſſenſionibus, toto quindecim ferè annorum Regno eum exercentibus, prohibitus fuit, quibus procellis agitato Principe, perinde atque Caroli Noni toto dominatu, & Rupeculanis, & cæteris Rebellibus ex accreuere opes, acceſſit ea confidentia, quibus in Reges impunè abuterentur. Aduersùs

Rupeculani quales in Hĕricum Tertium.

C Henri

Henricum Quartum, ad clauum Gallici Regni euectum, alia quædam, & peculiaris fuit Rupeculanorum ratio, quòd, tametſi eum,vti multis nominibus Maximum Principem, obſeruarent, ac venerarentur, tamen,qui eius inſignem clementiam, & humanitatem compertam haberent, & armorum mutua intercedente in Catholicos ſocietate,cum eo familiariùs, ac iuſto liberiùs, multis annis egiſſent, vt vel ipſimet ſuis ſcriptis inſolenter prædicant, adduci ægerrimè poterant, vt ei ſe morigeros præberent, atque aliter cum eo, quàm cum æquali ſocio gererent. Eò etiam accedebat, vt confidentiùs, & velut contumaciùs cum eo agerent, ipſius Henrici Quarti, perpetuum cum Hugonotis inſtitutum,

Quales in Henricum Magnum.

tum,

tum, vt eos, certis ex causis, mallet suasionibus, patientia, beneficiis ad officij rationem lubentes pellicere, quàm bello inuitos, & coactos compellere: quo eius perspecto consilio Rupeculani numquam destiterunt illiberalibus postulatis optimo Principi molestiam facessere, numquam animum adiecerunt suo se Regi obsequentes præbere. Quorum peruicacissimam in obeundis imperiis cunctationem paullò asperiùs aliquando increpans in hæc tandem verba minaciter intonuit: Si porrò pergerent, iustam eius indignationem tergiuersando conciere, paucis diebus effecturum se, vt vestigia scrutantibus ambiguum fieret, vbinam terrarum nuper stetisset Rupecula. Tanto scilicet Principi, virium suarum mi-

nimè omnium ostentatori, bellicis rationibus planissimè subductum erat, quibus artibus, & machinis, si quidem animo destinasset, Rupeculam, & caperet, & captam deleret funditùs. Longissimè nimirum ab illo aberat animo, qui Rupeculanorum magis formidine, quàm amore duceretur, contrà atque perperam, & temerè nonnulli de hoc incomparabili Heroë scriptis prodiderunt: cuius contrà notissimum tota Gallia est celebre illud dictum: Vt vt antecessorum Regum alius Rupeculanos metuisse, non amasse; alius amasse, non timuisse putaretur: certò ita se affectum esse, vt eos neutiquā amaret, ac multò minùs metueret. Iam verò Ludouici Decimi tertij, Magni Henrici successoris, ac filij, ec-

Quales in Ludouicum XIII.

quod

quod humanitatis,ac beneficentiæ genus in Rupeculanos, totis decem ac ſeptem annis, hoc eſt, ab ineunte eius principatu, non perpetuò conſtitit? ecquod contrà dici, aut fingi poteſt atrox adeò maleficium, quod ingratiſsimi, inſolentiſsimi, ac perfidioſiſsimi mortalium in benigniſsimum, & iuſtiſsimum Regem ſceleratiſsimè non intentarint? Quid aliud prætereà ipſorum infinito ſceleri abfuit, quàm vt totidem Regum, quot Rupeculæ Coniuratorum capita cenſebantur, titulos ſibi vindicarent, quandoquidem eos tanta dementauit inſania, vt Rupeculani Regni, ſi Superis placet, tot in Gallia prouincias, tot exercituum duces, tot prouinciarum præſides, tot vectigalium quæſtores, ſibi publicè deſcriberent,

ac descriptos adhiberent reipsa, quot ipse Rex Ludouicus censebat, atque auito obtinebat iure. Prætereà, vti nihil deesse posset ad summam ipsorum iniquitatem, impudentiam, impietatem, quasi, & Regem, & Regium Consilium, & vniuersam Galliam, in meris fungis ducerent, quibus facilè imponeretur quidlibet, cùm tota Gallia hostiliter grassarentur, & cohonestandi, & muniendi, & conseruandi Regis, ac Imperij Regij nomine, quidquid flagitiosissimè agerēt, se agere quotidianis editis commentariis prædicabant. Itaque, tametsi, ex quo Reipublicæ speciem quamdam affectarunt Rupeculani, affectarunt autem iam inde ab ipsa primore sui ortus tempestate, nihil vmquam pro sanis egerunt, sibi tamen perpe-
tuò

tuò visi sunt pro sapientissimis Politicis rem gerere, sed maximè hoc postremo tempore, cùm Ludouico, Regum moderatissimo, se adhibuere quàm indignissimè, ac insolentissimè. Quam ipsorum sententiam, quis non animaduertat penitùs esse ab perturbata, & subuersa diuinitùs mente, vti quos indulgentissimum Numen sæpiùs officij benignissimè admonitos, & æternùm contumaces, ac refractarios, immisso tandem grauissimo animi stupore, stolidissimis ipsorummet consiliis, & factis vellet ad extremum interire. Cuius Numinis sapientissimo, ac iustissimo decreto, qui homines vmquam, & vsquam nati sunt, omnium hominum pessimi, qui vlli vmquam populo præfuerunt Reges, Regum optimo nolentes

 dediti,

dediti, ac per manum traditi sunt, quinquagesimo quinto, quàm ab Andium Duce, Caroli Noni fratre, obsessi fuerāt, sexagesimo ferè, quàm in Caluini verba publicè iurauerant. Enimverò perpetua, & intoleranda Rupeculanorum peruicacia, iniquitate, insolentia, iustissimè offensus Ludouicus, Britannis ipsorum accitu classem in Galliæ oras tantumnon appellentibus, diuturnam, & exitiosam illam Galliæ pestem ferro sibi exscindendam destinauit: hoc est, Rupeculam assidua obsidione expugnandam, quam obsidionem, & eius instituendæ caussam, Cracinianum bellum, deinceps paullò fusiùs describimus.

III. Rupecula, vti ab initio indicauimus, ad oram occidui Oceani Gallici, propter angu-

stum

ſtum Sinum eſt poſita, cuius ſitus rationem, & vrbis ſpeciem ſingulatim pòſt paullò exſequemur, vbi adiacentem ei Sinum, accuratiùs deſcripſerimus. Rupeculani agri ad maritimam oram duo Sinus ſunt, Minor, idémque, ad Boream, ſuperior, Vrbi propinquior, & ei proprius: Maior, qui & inferior, & ab Vrbe, versùs Auſtrum, reductior, vti, quos inter Sinus, intercedit *Corellia*, breue, & anguſtum cornu, terræ lingula veriùs, non longiùs procurrēs in Oceanum, quàm ſit dimidium eius, quo vterque Sinus in longum porrigitur. Communia vtriuſque Æſtuarij oſtia clauduntur cornibus duobus, quorum Boreale, *Baiæ Caput*, hoc eſt, Sinus frons vocatur ab indigenis: Auſtrale verò cornu, ſimplici nomine *Caput* appel

Rupeculanus Sinus.

Chef de Coreille.

appellant. Superior Sinus, continentem versùs, duo passuum Geometricorum millia,& quingentos in longum procurrit, in latum verò non solidos octingentos patet. Inferior superiore paullò est longior, ac dimidio toto latior,æquali fermè in omnes partes latitudine. Superior, ac minor obliquè ab occidua ora continentem discindit, mediúsque Aparctiam inter atque Apeliotem fertur, ac desinit in ipso Hellespontiæ directo limite. Maior, ac inferior recto ductu in Ortum ab Occasu progrediens, interiora continentis quingentos fermè passus longiùs, quàm Minor,excedit. Superioris Sinus lateri extremo, in Boream obliquè obuerso, & in Cæsiam desinenti, plano situ est imposita Rupecula, quadrati in

longum

longum ſchematis,cuius longitudo ab Aparctia in Auſtrum directo tractu procurrit. Quo Auſtrali vrbis capite,portus eſt, benè apricus,egregiè amplus, ab limo purus, mœnium ipſo ambitu clauſus, cingentibus oſtia firmiſsimis turribus, murorum, ea regione,frontem, & angulos obtegentibus validiſsimis propugnaculis.Hanc oppidi faciem, iam inde ab initio eximia mœnium, & caſtellorum ſtructura præualidam,&, prætcrquàm inſtructa claſſe, hoſti minimè obuiam, Rupeculani recèns muniendam non putarunt, niſi quòd,vtriſque angularibus iuncturis, nouarum munitionum capita, inſtar ingentium molium,intra Sinus oras in aquam produxerunt. Tres verò cæteras vrbis frontes,Occiduam, & Or-

Rupeculæ ſitus, ſpecies, firmitas.

tiuam productiores, Borealem breuiorem,& Australi ęqualem, præter veteres, egregiè firmos, & turritos muros, geminis validissimarum, & ex bellica formula structarum munitionum ordinibus, ab extrema illa Ducis Andegauensis obsidione, ita præcinxerant, vt ad earum artem, speciem, firmitatem desiderari posset nihil. Post quemlibet munitionum, & operum cinctum, amplissimæ, ac structiles fossæ iugi restagnant aqua, singulis ex imo maris Sinu ad vtraque mœnium latera, fossas ineuntibus emissariis, ex continente item palustribus ad Occasum, Ortúmque influentibus in easdem riuis, vti aquarum numquam maxima desinat copia. Rupeculæ occiduum latus totum inundant dulcis aquæ

continentes paludes, ſed angu-ſtiore circum mœnia limite; altero ad Ortum latere, magna vrbis pars, & longè maior Sinus maritimi portio, diffuſiore in longum, & latum tractu, palu-ſtribus ſalinis præcingitur. Harum paludum ad vrbem appoſita,& importuna amplitudo,Rupeculam obſidione cingentibus longè laxiorum operum, & munitionum modum, & ambitum ex neceſsitate aquarij ſoli præſtituit,ex eóque, militum tantò maiores copias, ad idonea præſidiorum,ſtationum, excubiarum munera imponit. Ludouico itaque Rege Chriſtianiſsimo ob-ſtinatiſsimam, & ſceleratiſsimam orbe toto Rebellionem, in ſexcentarum perduellionum rea vrbe, tandem oppreſſuro, caſtrenſibus ſeptis, in octona
millia

Rupecula obsidēda cōsilium.

millia excurrentibus, circumuallanda fuit Rebellantium, & Perduellium mater Rupecula. Ludouiceorum verò castrorum ad eam vrbem septa, Fauonium versùs, ab obsessorum mœnibus quingentos ipsos passus abfuere: versùs Boream, paullò abscessere longiùs: ad Subsolanum verò, ac Notum, quantum omninò spatij paludes occupant, millenos & quingenos passus ab hoste discesserunt. Rupeculanum porrò bellum, si temporum ratione summam rei æstimabis, Cracinensis belli fortuita quædam accessio futurum fuit: si naturam rerum, & proprias bellorum causas expendes, à Britannis occupata insula Cracina belli appendix dumtaxat reuerà fuerit, ipsum verò bellorum caput Rupecula meritò censebitur.

tur.

tur. Enimverò,ſi, occupata Rupecula, Gallus eius omni poſſeſſione, ac poſſeſsionis ſpe Britãnum deiiceret, qui eam vnam captabat,de Cracina Gallo haud vtique laborandum eſſet,de qua Britannus, deſperata Rupecula, minimè omniũ cogitaret. Quoniam igitur Britãnus,armis vindicata *Cracina*,Rupeculam,quaſi ex illo ponte in hanc, velut ei iunctam, nullo negotio gradum facturus,ſibi facilè deſponderet, vtraque fuit eodem arcendus tempore,ſed Rupecula maximè omnium depellendus.Itaque,vt celeberrimis Caſtris,& omnium clariſſimæ Obſidioni,felicia daret initia Ludouicus, poſt inauditam exſcenſionem Britannicæ Claſſis in Cracinam inſulam, Rupeculanæ oræ finitimam,imperati eam in rem exercitus Inculiſmæo Ile de Ré.

Rupecula obsidio mãdatur Inculismæo Duci.

culismæo Duci mandat imperium sub Sextilis mensis initia, huius sæculi anno, supra vicesimum, septimo. Copias autem cogente Inculismæo ad Maranum oppidum, è regione ferè Cracinæ insulæ, iubentur ab Rege, *Villaregiæ* ex morbo decumbente, Prætoriana Legio, & aliæ duæ, in Santonibus, & Pictonibus statiua agentes, Rupeculanum iter ad inchoanda castra capessere. Brissacius itaque, ac Fourilleus, Prætoriani Centuriones, trecentis Prætorianorum militum quilibet secum assumtis, ex Blesiensi, & Turonico agro, quinto ante Idus Augustas, ineunte profecti nocte, nihilque intermisso itinere, Rupeculam aduolant, primoréque diluculo posteræ diei, ipsas ad vrbis portas, nouitate rei attonitis ciuibus,

arma

armatos,& in aciem ſtructos ordines, animi, & alacritatis pleniſſimos ſtatutis ſignis admouent,felicibúſque Ludouici auſpiciis,Rupeculanorum Caſtrorum initia tantulis copiolis inſtituunt. Eodem ipſo die Inculiſmæus,Regij exercitus Prætor, Marillacius, Rupeculanis Caſtris futuris deſignatus Præfectus, Pompeius Targonius Caſtrenſium Operum peritus Deſignator, Rupeculã circumeunt, eiúſque externas munitiones vniuerſas accuratè inſpiciunt,& examinant, vnáque Corelliam promontoriolum,geminis interiectum Sinubus, diligenter peluſtrant. Intereà, ad ſenos illos Prætorianorum ordines, Rupeculanis portis, ac foſſis inſiſtentes, reliqui quatuordecim eodem itinere ſubſecuti, adiunguntur,

Prætorianorum ſex Ordines ad portas Rupeculæ.

guntur, & ſuper hos aliæ Legiones duæ, ac leues Equites ducenti, prioribus copiolis ſubſidio aduenniunt. Tribus hiſce Legionibus, bis millenorum capitum qualibet, per hæc initia Regius conſtabat exercitus, cùm Inculiſmæus initium operum faciendum cenſuit, quibus Rupeculani circumcingerētur. Itaque ad decimum tertium Calendas Septembres, ipſa nocte, *Moletrinulæ* Caſtellum, ſalinariis ſubiectum paludibus, versùs Apeliotem, ac Notum, Rupeculanis ab Eſpernonio Duce, Regia Caſtra nuper inibi obtinente, vi extortum, & poſteà dirutum, inſtaurare feliciter occipit. Qui, paucis antè diebus, ſe Regi addictiſſimos, ex Hugonotica ſcilicet formula, profeſſi erant Rupeculani, cùm illa ſex ordinum

Fort de la Moulinete.

num Prætoriana cohors eorum portis appelleretur, ſe infenſiſſimos hoſtes Regiorum iuſſorum adminiſtris nunc adhibent. Enimverò, quòd Inculiſmæus, & Marillacius, promouendo inſtituto *Moletrinulæ* Caſtello, ſic inſtarent operi, vt nihil intermitteretur, aſſidua, & denſiſſima infeſtarum glandium nube, per aliquot dies, opus interturbare conati ſunt, ſed irrita penitùs opera. Moleſta porrò febri conflictatus Ludouicus Rex, ab exeunte Quintili *Villaregiæ* decubuerat, ad affectum vſque Sextilem, qui morbus cunctationem non mediocrem & explendo exercitui, & vrgendis Munitionum Operibus afferebat, tametſi, qui tum aderant, & Duces, & milites, pro copiarum, & virium modo, mirabiles proceſſus Villeroi.

cessus haberent, in promouendo vniuerso Castrensi negotio. Per hosce dies designatus est ille octonûm milliũ perpetuis operibus circumsepiendæ Rupeculæ circuitus, hexagona specie, si ostiarias maritimi Sinus moles comprehendas. Castrense illud porrò tam amplum Septum, altis, latísque fossis, egestitia humo, & firmo, densóque vallo præmunitis, comparatum, vna fermè continente per ambitum opera, Castellis tredecim, Castrensi ex disciplina ritè designatis, ac exstrui cœptis, per iusta interualla frequentatum, ac emunitum est, hoc situ, atque ordine. Ab Fauonio, versùs mare describitur *a Tauanæum* Castellum, idémque Ostiarium, seu Ostiis Sinus impositum, & Chomaticum, seu Chomati, hoc est, Regiæ

Ludouiceorum Castrorũ septa ad Rupeculam.

a Fort de Tauanes.

Regiæ Moli inædificatum : inde [b] *Ludouiceum*,ab Oſtiis ac Mole ſeiunctius, eiſdémque interius : ab hoc [c] *Sanſpiritanum* : ſub hoc [d] *Marianum*, in communi Septorum angulo ſitum, ideóque tam Boreale, quàm Occiduum : poſt hoc,ab Aparctiæ latere, [e] *Fontanum*, mox [f] *Beaulieum*:Subſolani autem regione, [g] *Salinarium*, [h] *Moletrinulanum*,& [i] *Sannicoleanum* : Auſtrali verò plaga, [k] *Bonigraneum*, & hoc quidem,in altero communi Septorum angulo,æquè Ortiuo,atque Auſtrali, deinde [l] *Corellianum*, [m] *Aurelianum*,ac denique [n] *Marillaceum*, & ipſum Oſtiarium, atque Chomaticum, ſicut & Tauanæum, eidémque ex amuſſi oppoſitum. Quibus èx omnibus arcibus,Ludouicea, pridem erecta, & eidem ſubnaſcens Aureliana,

b Fort Loüis.
c Fort S. Eſprit.
d Fort S. Marie.
e Fort la Font.
f Fort de Beaulieu.
g Fort des Salines.
h Fort de la Moulinete.
i Fort S. Nicolas.
k Fort de Bonne graine.
l Fort de Coreille.
m Fort d'Orleás.
n Fort de Marillac.

liana, Rupeculani faſtus opportunæ duæ compedes, reliquis vndecim futuris Caſtellis, velut imitanda, quoad per locum, & tempus liceret, quædam prototypa tantò antè apponebantur, ingreſſura & ipſa ſeriem ambientium Caſtellorum. Vtrumque porrò & Chomaticum, & Oſtiarium, Regiæ adſtruendum Moli, & inædificandum huius Oſtiis deſignabatur, quoniam Ludouicea,& Aureliana Arx, ab Oſtiis vtraque paullò erat ſeiunctior, nec ſatis propinquas, ideóque parum validas habebat tormentorum emiſſiones trans Oſtia: contrà verò, vtrumque Chomaticum Caſtellum, ipſis imminens Oſtiis, eorum tota regione, iaculationes editurum erat vehementiſſimas. Et reuera, quoties eo vniuerſo tractu ſui

copiam

copiam fecere Britannorum volaticæ claſſes, ignitarum cannarum iis vtriſque Caſtellis opportuniſſima, & vtiliſſima conſtitit opera. Quæ porrò ſtructiles foſſæ, ab Caſtello in Caſtellum deſtinatæ, celſo ad tegendum militem margine, alto item,& laxo limite, ad eumdem pro re nata circumagendum, præter hunc laxæ,ac tutæ ſtationis quotidianum vſum, alterum etiam habent apprimè opportunum, atque in longè diſſitis amplorum Caſtrorum regionibus planè neceſſarium,quòd totis per circuitum Caſtris, tutum & expeditum Duces inter, ac milites præbent commeatum. Iſta enim *Vicinalium viarum* facili,& hoſtibus minimè obnoxia laxitate, ingenti exercitus commodo, militaria cuiuſque generis

Lignes de communication.

ris expediuntur miniſteria; commeatus,machinæ, machinarum inſtructus, arma viciſſim ſubuehuntur; deferuntur Ducum imperia, teſſeræ denunciantur, ſummittuntur auxilia, & neceſſaria quæque tutò, & expeditè adminiſtrantur. Quoniam verò locis aliquot frequentia ſatis nequeunt eſſe Caſtella, nec ſatis propinquæ, Caſtellana inter præſidia, ſubſidiariæ operæ, ac celeres ſuppetiæ, accuratum diligenter eſt, vti bina quæque inter Caſtella, toto mediarum foſſarum interuallo, *Laterales, ac emiſſitiæ munitiunculæ*, terrenarum turrium inſtar, frequentes excitarentur, in quibus Canteriati catapultarij, agitandis ſtationibus, & ſeipſos incolumes, & vicinales Caſtellorum limites, tutos ab hoſtium noxa

Redoutes.

noxa præſtarent. Speculatoriæ huiuſmodi munitionum acceſſiones, quoniam extra foſſarum latera, aut angulis ſolis, aut plana fronte tota excurrunt, exiguo negotio aggeris, & valli aditu hoſtem prohibent, aliæ alias ſua frequentia, & vicinitate mutuò iuuant, & tuentur, tutáque præſtant vicinalium limitum, & Caſtellorum vniuerſa miniſteria. Quæ adhuc deſcripſimus, totis campis, & vniuerſa continente, Rupeculanis obſidendis, omníque intercludendis commeatu, ac milite, circumducta ipſorum mœnibus Septa Caſtrenſia, maximi ea quidem momenti futura erant, ad perpetrandum bellum, vrbémque capiendam. Verumtamen, ſi aperto, & libero intereà maris Sinu fruerentur obſeſſi, & obſeſſo-

rum auxiliares copiæ Britannicæ, in illis immanibus terrestrium munitionum Operibus inanissima prorsus luderetur opera. Enimverò, tametsi Chomatica illa duo Castella, infrenandis Sinus Ostiis studiosè delineata, seu aditum, seu exitum tentaturo hosti non mediocriter essent incommodatura : quoniam tamen obsecundante nauigiis vento, seu diurnus, seu nocturnus nauigantium transitus est velocissimus, & qui tormentorum glandes, adeóque etiam oculos insidiantium præteruolet; ipsa per se Castella, licèt tormentis instructissima, nec Rupeculanum, nec Britannum Oceani commeatu interclusura forent. Eapropter, Ludouico, Rupeculæ obsidionem seriò meditanti, maturè prouidendum fuit,

vti Rupeculani Sinus Ostia eis obsepirentur vallis, quæ nulla vi, nec æstuantis Oceani, nec furentium ventorum, nullóque impetu´ inuehentium armatis nauibus hostium perfringerentur. In eam egregiè administrandam, excogitata sunt, & strenuè comparata validissimorum claustrorum tria genera, quibus Ostiorum commissis inter se capitibus, interfluens alueus ad omnem obstrueretur aditum, exitúmque. Quibus de claustris, quoniam ad posterius aliud pertinent tempus, tum dicemus, cùm ingenti classe in Cracinam inuectos, Sammartinianæ Arcis in ea expugnationem toto trimestri molientes, & ex eadem insula Ludouici armis exactos, Britannos ostenderimus.

Britanni Cracinā cogitant. IV. In Cracinam inſulam, Rupeculanæ oræ trium millium interuallo appoſitam, vela facturi Britanni ſuos portus diutiſſimè cluſos habuerunt, ea claſſici apparatus venditatione, quæ, Anglici faſtus minùs conſultis, facilè perſuaderet, Londinianis naualibus, velut parturientis inſulæ aluo, eam claſſem contineri, qua, ſimul atque oſtiis ſe inſtructa effudiſſet, vniuerſus expugnaretur orbis, captiuus in Britanniam ex portandus. Indicem naualis ſuæ pompæ, tantò antè, quàm è Britannia ſoluerent, euulgandum, reor, ſibi putarunt, quia Ludouico Chriſtianiſſimo, eius Ducibus, & Copiis cautum volebant, rati ea denunciatione ita perculſum iri Gallorum animos, vti eorum nemo in Cracina, nemo in Ludouicea Arce,

Arce, nemo nec in Santonicis, nec in Pictonicis portubus, post eam inauditam, vel vnum diem, subsisteret. Nonaginta nauigiorum grandium, & mediocrium: minutorum centum & viginti, significarunt se ex naualibus educere: quadragena bina ex eis ad pugnam perbenè instructa esse, tricena quaterna commeatu onusta: septem se asportare armatorum legiones, nongenûm militum quamlibet: trecenos prætereà equos, &, quod mirere in bellico, castrensíque instrumento Regio, rhedam seiugem, suis equis instructam, fortè ad triumphantem Imperatorem tota insula circumuehendum. Sed non venit in mentem recensere instrumentum suum culinarium, tricliniarium, vestiarium, ceruisiarium, quo

Britannorum classicus apparatus.

plurima ferunt impedita illorum fuiſſe nauigia. Atque, vti minimè viderentur in Ludouicum, Francorum Regem, graſſari iniuria, quem, velut honorarij litium ipſius arbitri, iubebant Ludouicea Arce decedere, ipsámque exſcindere, vti Rupeculanis, Britannici Regis clientibus, importunam: edito publicè ſuarum querimoniarum commentario, cauſas offenſionum neſcio quas, ab Ludouico Rege præbitas, obſcurè comminiſcebantur. Ad decimum tertium porrò Calendas Auguſtas anno huius ſæculi viceſimo ſeptimo, ſub ſextam horam matutinam, è *Cracina* inſula conſpici cœpit, non tamen agnoſci, ea Claſſis, ad Olonia Sabuleta, póſtque paullò, miſſis exploratoribus, ea comperta eſt, quæ reuera

Ile de Ré.

erat,

erat, & proximè Cracinam successit; sed reliquum diei, & noctem sequentem, iactis ancoris, substitit in salo, coactis in eamdem stationem centum, ac viginti nauibus. Postera die manè, plerisque nauigiorum in eum alueum inductis, qui continentem ab Cracina disiungit Insula; benè magnam oræ Insulanæ regionem occuparunt, sed densiore ad Sammartinianam Arcem, & ad Pratense Castellum collecto nauium agmine, Classis Ductore Bukinghamio.
Cracina Insula eadem mihi est, quæ Rea, secuto, nec leuibus argumentis, Turonium Gregorium, quarto Gallicæ historiæ, vbi Cracinam haud procul ab ora Pictonici Oceani statuit, extra quam insulam, nulla aliæ, nisi minutæ, ac ignobiles, Picto-
Ile de Ré.

nico littori appositæ visuntur. Nec meæ sententiæ officit, quod Turonius Cracinam Pictonico adscribit mari, Ream verò Insulam, sicut Rupeculam, & Alnisium, Rupeculæ agrum, Santonibus assignat vulgus. Enimverò nos suprà indicauimus, ab peritis locorum indigenis, Alnisium regionem, & huius regionis vrbem Rupeculam, Pictonico solo, non Santonico propriè attribui. Cracina igitur, in longum dena quaterna, octona in latum patens millia, intercurrente Oceani trium circiter millium depressiore frequentiùs alueo, qui, silente mari, commodè vado transmittatur, Pictonicæ oræ in latus obtenditur, non quidem è regione Rupeculæ, sed supra eam, duobus ad Boream millibus. Huic maritimo alueo, &

Cracinenſi littori eſt impoſitus Sammartinianus pagus,& pago, ad oram,inſidens Sammartiniana Arx,ſenis ab Rupecula, binis ab Pratenſi Caſtello millibus, non directo illa Arx in continentem proſpectu, ſed obliquè verſo in Boream,in flexu ſcilicet Inſulæ, illam regionem versùs. Ei quoque littori eſt inædificatum Pratenſe Caſtellum, continenti obiectum, duobus ad Auſtrum ab Sammartiniana Arce millibus, quaternis ab Rupecula. Vtriuſque condendi, ac muniendi ædificij conſilium cepit Ludouicus, anno huius ſæculi viceſimo quinto, cùm Thalaſſiarchus Montmorancius, Sobiſéo, & Rupeculanis prœlio fractis, fugatíſque,*Cracinam* Pictonicam, & *Vliarum* Santonicam, binas inſulas, ipſorum manibus Ile d'Oleron.

extorsit. In eam vtriusque Arcis exædificationem, insequente anno, Rex Toërasio, & bellica virtute, & aduersùs Regem fide, in primis inclyto, Ludouiceæ Arcis Præfecto, Cracinam ei Arci vicinam attribuit, ipsique muniendæ pecuniam adnumerari iussit. Quoad accurati hominis summa efficere potuit diligentia, cœptæ ab fundamentis Arces eò processerant, vt tegendo, ac tuendo satis vtcumque essent trecenûm fortè capitum præsidio; sed, excipiendis numerosioribus copiis, idonea tecta non suppeterent. Atque, si ratio temporis præsidiarios excluserat facultate parietum, ac tectorum, tantò magis exteriorum munitionum opportunitate arcuerat. Designata quidem erant accuratissimè, in omnes

Martiniana Arx extruitur.

Castello

Castellorum frontes, & frontium communes angulos, laxa, & celsa propugnacula, & præ istis propioribus alia citeriora, & hisce mediis succedentia alia, quæ hostem propinquiore aditu summouerent, sed præter sollertem designationem, nec terreni, nec materiarij, nec lapidarij operis quidquam pænè accesserat, cùm in Cracinam Insulam Britannicus exercitus exscensionem fecit. Verumtamen didicit toto trimestri hæc classis, si nec suo, nec alieno exemplo antè fuerat edocta, & didicit multa sua pernicie, non fossis, non aggeribus, non propugnaculis, non mœnibus propriè, ac verè arces propugnari, sed bellatorum lacertis, & animis; easdémque non multitudine militum, sed bellica virtute expugnari.

Martiniana Arx immunita, appellente Anglo.

Enimverò Sammartiniana Arx, non parietibus, non tectis, sed monogrammis descriptionibus. Arx dumtaxat superficiaria, quæ suos defensores non validis substructionibus, sed ligneolis sub diuo casulis tegeret, tumultuario, inter quotidiana prœlia, opere delineatas munitiones tantillum modò cùm proueheret, tamen inuicta semper, & ab hoste Anglo integra perstitit, vti eius fœdè profligati pauculas, & miseras reliquias, Nouembri tandem mense, in Britanniam amandaret. Hæc autem Classis, eo, quem suprà indicauimus, die, vbi sese, ad geminas maximè Arces Cracinenses appulisset, decem in salo statutis ad prospeculandum grandioribus nauium, ex parte ad Pratense Castellum exscendit, totúmque

cum

eum diem frequentibus tormentis in munitiones eius Castelli, ad ſerotinum Oceani æſtum, eiaculata eſt acerrimè, tranquilliſsimo intereà mari, & machinarum emiſſionibus mirum in modum obſecundante. Tormentorum non minùs duo millia erant in Britannicis nauibus, perpetua emiſsione vniuerſam Inſulæ oram infeſtantia, maximè quà comparebant militares noſtri ordines, variis regionibus ab Toëraſio, Inſulæ, ac Ludouiceæ Arcis Præfecto, ab heſterna die collocati ad excipiendos Britannos, quocumque tandem Cracinæ aditu terram capeſſerent. Bukinghamius, Britannici exercitus Prætor, octona armatorum recenſebat millia, præter turbam claſsiariarum operarum quatuor millium:

Toërasius octingentos modò Pedites, ducentos leues Equites, illi multitudini obuiàm iturus, ducebat. Pluribus Insulæ Cornibus exscensionem ostentarunt totum ferè diem Britanni, siue ad struendas nostris insidias, siue nouis in horas occurrentibus consiliis, & quamuis in partem erumpere viderentur, nostri tumulosa inter sabuleta, alacriter quidem, sed ingenti fatigatione, se opponebant, continenti procursu, & recursu quingentorum ferè passuum. Bina denique armatorum millia in terram cùm exposuisset Prætor, qui crederentur, haud procul Pratensi Castello, nostrorum impressionẽ exspectaturi, Toërasio, ac cæteris Ducibus, visum est, differri nihil oportere, quò minùs in adhuc confusos

incurre-

incurreretur. Equitatus noſter Voluntariis magnam partem conſtabat, quorum Principes Chantalius, Noaïllius, Sombranius, Briſſacius, pater, & filius, Amblevillius, Sanſurinius, Soïonius, Mareineus, Cauſſius, Baranſacius, Tibaudierius, Boſſantautius, & alij, quo ex Equitatu octonæ turmæ ideò ſtructę ſunt, vt hac raritate ordinum ictibus tormentorum tantò minùs paterent, quorum ingens ille, ſuprà deſignatus, numerus, vniuerſa littoris, & camporum regione, infeſtiſſimè graſſabatur. Equeſtrium turmarum ſex iuſſæ ſunt ab Toëraſio impreſſionis in hoſtes initium facere, ſimulatque ſublato ipſe ſudariolo ſignum edidiſſet, quarum procurſum ſubſequeretur mox omnis Peditatus, duę reliquæ Equitum

tum turmæ pedeſtribus copiis pugnantibus ſubſidiariam ab tergo præſtarent operam. Sex turmarum Equeſtrium ala, cùm pleniore gradu viam capeſſiſſet, ſubſequentium aliarum frontem Toëraſius occupauit, vti pugnaturis præſens ipſe congrediendi ordinem præſcriberet. Is fuit ad ineundam pugnam noſtrorum ardor, vt cùm pleno gradu Equites occœpiſſent iter, confeſtim citato ferrentur greſſu, ac mox effuſis habenis inueherentur in Britannos. Sed tam denſa, & fœda immanium glandium nubes tota ex Claſſe, ac perpetuo littore fundebatur, vt longè ante coniectum telorum, & conſertam cum hoſte manum, equitatus noſtri magna portio diſſiparetur: quæ tamen eius pars ictum declinauit glan-
dium,

dium, prima fronte ſic hoſtem conterruit, vt auerſum in fugam eum in mare adigeret. Quòd tamen Gallici Equitatus terga, & latera, nullæ ſubſidiariæ cohortes cingerent, & firmarent, receptis ex eo animis Britanni, ſeſe ſponte reuocabant ad inſtaurandum prœlium, & defeſſis longiore pugna Equitibus noſtris ingens negotium faceſſebant. Vt Pedeſtria, & Equeſtria eos auxilia deficerent, neceſſariò pænè acciderat, quòd primores hæ turmæ celeriùs, quàm pro more, in hoſtem prouolarant, quódque grauior peditatus iugium ſabuletorum impeditiore ambulans via, vt aliquando tandem aduentarit, in tempore tamen non adfuit, vt opportunas ſuppetiarum præberet operas. Pro paucitate tamen

Pugna ad mare in Britannos.

Equi-

Equitum, clara, & memorabilis fuit impressio, & luctuosa hostibus pugna, vsque eò in mare cõpulsis, nostri vt Equites poplitum tenùs in aqua prœliarentur: quo certaminis genere, obseruati sunt Tibautius, & Boissonierius ingentes Britannorum strages edere. Selectæ, ac Equestris Gallicæ nobilitatis sexagena capita, Legionariorum militum centena, & quinquagena eo prœlio desiderata sunt, pugnantium hostium manu nequaquam confecta, sed è nauium proris, & malorum naualium speculis sæuientium tormentotum glandibus. Ex primore autem Nobilitate cecidere, Restinclerius, Toërasij frater, Chantalius, Noaillius, Causseus, Landeus, Sanlucius, Tablierius, Montagneus, Brissacius filius, Sauignius, Heurtebreus,

Prælio cæsi.

tebreus, Baranſaciuscrure captus,ac triduo pòſt mortuus,Boiſſonierius, Condamineus, Tertreus,Maurillanus,Baſtieus,Baueus. Sed Britannis longè calamitoſior cecidit huius prœlij alea, quibus periere quindecim ex principibus Militarium munerum Adminiſtris,ac de primore Nobilitate tres Proceres, &, ſuper hos,ampliùs quingenti milites, quos procliue fuit perendie, in ora inſularia, ex gentili amictu, ab Gallis internoſcere. Prima ex illa clade ita refrixit Britannorum ille ferox animus, & impetus, vt è nauibus,aut vltimo littore pedem non efferrent,ac triduum totum abſumerent muniendo aduersùm nos littori, quòd ſe quotidianis prœliis appetendos arbitrarentur, donec per nos eis conſtitit, in arce:

arce tuenda,firmandáque,copias noſtras deinceps occupatas fore. Intereà coniecturis explorabamus, quid conſilij agitarent hoſtes,& eò adducebamur vniuerſi, vt putaremus, Pratenſis Caſtelli oppugnationem inituros, quòd haud procul eo ſubductas haberent naues, & procinctum in nauibus exercitum. Contrà tamen ac opinati eramus,ex quo didicerunt, ſe à nobis minimè laceſſitum iri, ſexto Calendas Auguſtas,primo diluculo, terreſtre iter inierunt, octo millium armatorum inſtructa acie, Sammartinianam versùs Arcem. Eis armati proceſſimus obuiàm, &, continenter laceſſentes,omnem prœliandi anſam vltrò præbuimus, qui, noſtris fatigati velitationibus,bis eò itinere caſtra poſuerunt,ſed numquam laxatis ad

pro-

cursum, & ictum Ordinibus, nihilque penitùs de instructa remittentes acie, tametsi eorum semper obuersaremur oculis. Cùm ad eam speciem densato, & structo agmine, viam intenderent, in subiectum nostræ Arci Martinianum pagum, Toërasius, expeditas licèt ad pugnam, suas copias eis non obiecit, vt aditu prohiberet, quòd eum pagum, vt iusto laxiorem, atque ad militaria munia imbellem, tuendum sibi non sumeret, à quo tametsi hostem aliquādiu àuerteret, aliud efficeret intereà nihil, quàm vt exscindendo pago causam, sua culpa, præberet. Bukinghamius, inspectantibus nostris manipulis, pago potitus, nos animis, & viribus defectos, per ipsa initia, ratus, præsidium nostrum, & Arcem, cœpit non medio

Britanni Martinianum pagum occupant.

mediocriter despicari : promotísque nonnihil Operibus iis, quibus circumuallandos nos sumserat, ad Britanniæ Regem scripsit, & Arcem Martinianam, & eius Præsidium, octauo ab suis litteris die, in ipsius haud dubiè futurum potestate. Eis litteris acceptis, mox Regium Edictum intercessit, quo ex tota Britannia, maximis immunitatibus, ac beneficiis offerendis, inuitabatur in Cracinam Insulam Colonia, Bukinghamio ampla latifundia, in feracissimo Insulæ solo, liberaliter describente. Haud paullò feliciùs Bukinghamio, Regnorum Expugnatori, cecidit Craciniana hæc Colonorum deductio, quàm ei acciderat illa, non multis antè mensibus Gaditana : & planè cognitum est, in Bukinghamio

Britannica vanitas.

plus

plus esse inanium verborum, quàm scientiæ, ac virtutis bellicæ: in Gallis contrà eamdem residere animorum vim, quæ aduentantes Britannos vehementer perculerat. Septimo die, quàm pagum occuparant Britanni, sex tormentis Martiniano in portu statutis, ad diuerberandas Arcis moletrinas, ab ipsa aurora vehementiùs eas cœperunt conquassare, paucísque horis, glandium multitudine, ac vi, eò adduxerunt, vti pænè dilacerarentur. Verumtamen huic incommodo tam properè, ac feliciter iuimus obuiàm, vt opponendo firmo aggere, frumentarias molas ab glandium iactu planè tegeremus, &, libratis in aduersa tormentis, hostilem iaculationem sic interturbaremus, vti antemeridiana decima hora,

eis reliqua eſſet dumtaxat vna muralis canna , ad glandarias emiſſiones idonea , cæterarum diſiectis , & dilaniatis canteriis. Illi quidem , vt moletrinarum congruente munitione nos arcerent, luxata ſua tormenta ſollicitè inſtaurarunt , & , redintegrato conatu, crebris emiſſionibus nos inſtiterunt appetere , in quos noſtri renouato priore cannarum inſtituto , & iactu, paucis glandibus vniuerſa ipſorum tormenta ſuis armamentis iteratò excuſſere. Octauo occupati pagi die, quaternis inſtitutis ad tormentorum emiſſiones ſtationibus, ducentorum aliis, aliis quadringentorum paſſuum interuallo in vicem diſſitis , totidem è regionibus, ac eodem tempore, nos cœperunt impetere , quibus vt vicem redderemus

mus pari telorum genere, machinarum instructus variè nobis dispertiendus fuit, atque vt ipsorum machinaria armamenta frequenter dissipauerimus; tamen inutiliore, quàm fructuosiore opera diu fatigati, cedendum putauimus, & superuacanea iaculatione abstinendum. Fossis porrò, & aggeribus Arcis nostræ ambitum obsepire cùm destinassent, vt & Continente, & ipsa etiam Insula nos excluderent, fossionum opus varium extra pagi septa instituere, & continenter vrgere cœperunt, nihil intereà remittentes de interioribus pagi munitionibus, vnde propinquam Arcis Martinianæ oppugnationem molirentur. Nos verò, quamcumque in partem suas intendissent operas, contrariis vel aggeribus, vel

cuniculis omnem eorum induſtriam ſic eludebamus, vt ſæpenumerò ad alia, & alia innouandarum munitionum conſilia eos adigeremus. Sed ab initio eam feliciſſimè cautionem adhibuimus, vt integra nobis pararetur, & perpetuò ad manum eſſet facultas excipiendarum ex maritimo alueo nauium, quæ militem,& commeatum ad nos ſubueherent, ipſis autem nauigiis eſſet idonea,& tuta ſtatio, ad quam ſe applicarent. In eius itaque ſtationis opportunam molem,& ex ea facilem ad nos,& à nobis in eam, commeatum, qua latitudine frons eſt Arcis,laxum,celſum,ac firmum, ab Arce in oram aluei ſtruximus aggerem,cunicularìis ita ſuffoſſum cauernis, & ſulfurato ſuffertum puluere, vt quamcum-

que illius regionem occupaſſet hoſtis, incenſo puluere vſtulatus procul diſturbaretur. Terrenarum huius generis machinationum apprimè intelligentes Caſtellanus, Camuſius, Deleſſarius, & Beauſolanus, ſollertiſſimas, & fructuoſiſſimas operas, & in illo naualis ſtationis aggere, & in pleriſque aliis munitionibus, multa cum ſua laude nauarunt. Solidum iam menſem obſeſſos nos habebat Bukinghamius, cùm eum cepit cupido impugnandi appendicem munitionis, quam lunato ſchemate ducebamus ex anteriore cornu Antiocheni propugnaculi, in quem hemicyclum, vt ex propinqua, & tecta latebra irrumperent ſui milites, eò altum limitem clandeſtina foſſione prouexit. Quo ex inſidiarum latibulo,

Prima impreſſio Britannica in obſeſſos.

E 2

bulo, concubia de nocte, triplicem armatorum immisit aciem: quæ omnis multitudo cuneatam hemicycli frontem cùm inscendisset, vniuersa se, eodem tempore, & ingentibus vulneribus sauciam, & ex crepidine deturbatam deprehendit, quo in celsa fastigia lunati cornus prouectam sensit. Huic hostium irruptioni depellendæ præfuit Montautius, Campanæ Legionis clarus Centurio, cuius, in eo administrando prœlio, eximia eluxit prudentia, singularis constitit fortitudo, vt vtrique virtuti debeatur in primis, quòd quini dumtaxat cecidere de nostris, de hostibus centeni quinquageni periere, cæteri omnes excessere vulnerati. Per eos ferè dies progressi ex munitionibus Britanni, vt nos annonariis aliquot lembis,

bis,ad Martinianam molem appulsis,prohiberent, & vt Sansurinianum aggeris hemicyclum expugnarent,pessimè ab nostris accepti, omnis deinceps armis tentandæ impressionis consilium abiecere, Arcis contenti obsidione,qua nos,si possent, fame conficerent.Illud tamen obsidioni adiiciendum putarunt, vt nos quauis molestia procul fatigarent,vnde contigit, vt, inflammandis frumentariis nostris apothecis, ignitas glandes continenter, & ingentia saxa machinis in sublime librarent,quæ, apud nos collapsa, quempiam obtererent, quam quoque perniciem densa grandine sagittarum,è cælo ingruentium, nobis moliebantur. His externis molestiis accedebant domesticæ aliæ plures, multóque acerbio-

Marti-niana arcis incommoda.

res : magna tecti, & parietum penuria, maxima inopia omnis commeatus, pluuia iugiter tempestas, vniuerso ferè milite in apertis supernè casis diuersante, vnde tandem existerent Præsidiariorum ad bellica munia imbecillitas, plerorumque graues morbi, pessimè affecti militis frequens fuga. Neque tum miseriarum finis videbatur futurus, quòd vnum, & pænè alterum ab obsidione mensem, ex terra continente nihil audiebamus, nec quid aliquando audituri essemus, vlla spes affulgebat, quoniam traiectus ex Insula impeditissimus esset, ac periculosissimus. Lembos complures, variis missionibus, in Regia ad Rupeculam Castra destinaueramus, quos ex datis mutuò tesseris constabat feliciter transmisisse,

ſiſſe, nunciorum tamen inde ad nos referebatur nihil: quæ nos deſtitutio longè vexabat acriùs, quòd omne commodorum genus, & ipſius etiam aquæ, in dies apud nos fiebat anguſtius. Montferrierius tandem, Toëraſij germanus, natandi benè peritis, tribus militibus animos fecit, vt, declinandis Britannorum naualibus ſtationibus, inito ſollerti natatu litteras in Regia Caſtra deferrent. Minutis incluſæ tubulis, promiſſiori comæ implexis, litteræ ad Regem, & ad certos Duces commiſſæ militibus cùm eſſent, ij nudi, circum capita inuolutis induſiis, Inſulæ ac Continenti medium de nocte ingreſſi alueum, obiectas Britannicis ſtationibus regiones natatu, intermiſſa eiſdem vacua ſpatia pedibus emenſi,

noctu ſe ad Pratenſe Caſtellum applicant, ab noſtro Præſidio Martiniano binis diſſitum millibus, vbi acceptis item ab Præſide Caſtelli Barrierio litteris, eadem ipſa nocte aquis ſe denuò committunt. Eorum vnus, ante exortum diem, aquis hauſtus interiit, ſed eiecto poſtridie ipſius cadauere ad Rupeculanum littus, quas ferret, ſunt inuentæ litteræ, & ad Beaumontium, cui deſtinabantur, in Caſtra perlatæ. Nunciorum alter natatione debilitatus, & fractus, quòd, cum lacertorum robore, ipſum quoque deficiebat ad reliquum iter animus, ſe ad obuium Britannicæ Claſſis Cercurum applicuit, atque hoſti permiſit. Tertius, cæteris valentior, gente Vaſco, Petræus cognomine, conceptis virilibus animis, ſe in Ocea

Natator clarus.

Oceanum, ſociis amiſſis, demiſit, variáque, ac grauia, eodem tempore, incurrens pericula, eis omnibus cõſtãtiſſimè ſuperatis, incolumis in Rupeculanã oram enatauit. Hunc hoſtilis lembus diu perſecutus, & natanti propior cùm fieret, vrinantis noſtri dolo crebrò eluſus, piſcíſne, an homo ille eſſet, ambiguus, ſubſequi tandem deſtitit. Hoc defunctum diſcrimine alia excepit infeſta non minùs alea grandium cetorum, toto milliari auidè conſectantium, miſero laniatum in momenta exſpectanti, patulis roſtris inhiantium. Ex hac calamitate in tertiam deuolutus, deficientibus viribus, periculo tantumnon conceſſit, atroci nimirum coorta tempeſtate, circumuehendum ſe immanibus vndis permittere coactus

eſt : eluctatus tamen denique
La Leüe. omnibus neruis ad *Leüeam* moletrinam, vno milliari ab Ludouicea Arce diſiunctam, ſe ſaluum ex Oceano eiecit, ſed ita fractum, vt non inſiſteret pedibus, ſed reptatu viam capeſſeret: indéque ab agricola ad Inculiſmæum Ducem deductus, Lutetiam cum Inculiſmæi litteris ad Regem deſtinatur. Eum Rex beneuolẽtiſſima gratulatione proſecutus, Principum quoque congratulationibus excipiendum ſtudiosè commiſit, atque, iuſtæ mercedis nomine, centenûm aureorum annua, perpetuáque in Salinas attributione ipſum, dato Reſcripto, cohoneſtauit. Intereà, frequentibus licèt noſtris nunciis, & in Caſtra, & Lutetiam perlatis ad Regem, nec ab Rege, nec ex Caſtris quidquam

quam ad nos afferebatur : si quid verò de amicorum quopiam in hanc Arcem manaret, id non nisi internunciis Britannis contingebat, qui de Regis valetudine quæque pessima iactarent. Bukinghamium porrò hæc omnia minimè fugiebant, neque nostra in primis omnium rerum penuria, vnde Toërasij, per litteras de Arcis deditione tentandi, ansam sibi sumendam existimauit, ad quem in hæc verba epistolam dedit. Quod mihi est insitum ab natura studium, quauis oblata occasione, testificandi ex animo, quo sint apud me loco, & qua dignatione, illustres conditione viri, ac rebus gestis inclyti, perpetuò mihi hanc legem, lubenti, volentique imposuit, vt omni comitatis, gratiæ, humanitatis genere

officiosum me aduersùs ipsos adhibeam. Quoad mihi per ipsa belli iura licuit,censeo hasce honestas liberalis humanitatis leges,in hanc vsque diem, sanctè mihi erga te seruatas esse : quibus etiamnum piè colendis, antè quàm rerum, quas gerimus, ipsa ratio, & necessitas ad noua ineunda consilia, & suscipiendam aliam quamdam tecum agendi viam, inuitum obstringat, è re communi visum est, vti te ad angustiarum vestrarum dispiciendum statum cohortarer. Eæ scilicet huiusmodi sunt, vt,inuicta licèt patientia, eas hactenus toleraueritis,istud tamen vestrum ingentium animorum robur,inani subsidiorum exspectatione fretos, ad eas, vltrà, quàm sapientis consilij sit, perferendas,vos temerè possit prouehere,

uehere,& quidem veſtræ ſalutis ratione quàm peſsima. Hiſce igitur cauſis, & eius doloris adductus fuga, qui meum haud dubiè inceſſerit animum, ſi qua grauior deinceps vos occuparit moleſtia, conſentaneum duxi, te amicè inuitare, vti te, Præſidium, Arcem, & honorifica quidem conditionum formula, mihi lubens, voléntſque dederes, quas conditiones exſpectaueris fruſtrà in poſterum, ſi ad eas conſiliorum expediendas rationes, quæ ſunt ad manum, me, parum conſultè, dilata deditione, adegeris. Vale. *Bukinghamius.* Hac hoſtis vrbanitate neutiquàm emollitus, nec intentatis minarum terriculis fractus, Toëraſius, eius, quod poſtularetur, pernegandi, validis rationibus ex ipſa Bukinghamij epiſtola

liqui

liquidò,& acutè illatis, in hanc ſententiam magnificè reſpondit. Ingenitæ tibi comitatis, & humanitatis inclyta facinora vniuerſo orbi ſunt cognita. Sed, quòd eduntur intercedente illa exquiſiti iudicij trutina, quam ſingulis rebus ſollerter adhibes, æquum eſt ab iis eadem facinora exſpectari quàm maximè, quorum propria ſunt,& ſollemnia rectè facta. Quo de factorum genere, nullum deprehendo præſtantius, quàm vt Regiæ cauſæ tuendæ gratia, quidquid mihi toto corpore ineſt ſanguinis,profundam liberaliter. Eam ipſam ob cauſam hîc lubens ago, cum fortium virorum numeroſa, & inclyta manu, quorum minimè omnium intrepidus,ſibi ab ſeſe factum ſatis non putarit,niſi ad protegendam ar-

cem hanc, quidquid diſcriminum poſſit ingruere, alacriter erit perpeſſus. Atque ita, nec vlla ſuppetiarum deſperatio, nec vllus hoſtilis ad rerum extrema ſæuitię metus, vmquam me poſſint ab tam generoſo conſilio deducere. Neque ſecùs tua quauis gratia me prorsùs indignum rear, ſi officij vel tantillum, in hoc genere negotij omiſerim, cuius non poteſt exitus mihi non glorioſus accidere. Quo autem ampliùs tu ad hanc meam gloriam contuleris, hoc fuero tibi obſtrictior, vt ſim perpetuò tuus. Vale. *Toëraſius*. Hanc litterarum viciſſitudinem tam officioſa duos inter Duces conſecuta eſt humanitas, vt, data cuiuſlibet congreſſus occaſione, vt noti, & amici mutuò viſere, ac conſalutare viderētur. Numquam

quam hoſtes inter, infeſtis depugnantes armis, tantùm mutuæ comitatis, & certantium humanitate officiorum, in hanc diem, animaduerſum erat. Nam Bukinghamius, audita ex Nobili Anglo Toërasij percontatione, cùm ſciſcitaretur, ecquid péponum tota Inſula reliqui eſſet, poſtridie honorario miſſo Nobile, duodenos pépones Toërasio beneuolè obtulit. Eius nuncio Toërasius vicenos coronatos aureos numerari iuſſit: ipſum verò Bukinghamium poſtera die citriæ aquæ aureolæ ſenis lagenis, & cyprini pulueris duodenis alabaſtris remunerauit: ſed huius puero ille vicenos Iacobæos rependit. Hoc eodem vrbanitatis officio, vel ab ipſo initio nobiſcum certauerat Bukinghamius: ſiquidem Britan-

nicæ exſcenſionis poſtero die, ad eum ſummiſſo puero honorario, & æneatore, qui mortuos noſtros, ad ſepulturæ iuſta repeterent, cùm infinitam ſermonis comitatem eis beneuolè adhibuiſſet, in eo tamen ſtudioſo officio, non ſibi videbatur ſatis, pro ſua cupiditate, facere: ad quam humanitatem vicenos Iacobæos honorario, denos buccinatori, mercedis nomine, adiecit: cui Toëraſius quinos bello captos Britannos, quinquagenis duplionibus Ibericis muneratos, gratis remiſit. Hæc velut Apollinea quædam internecini belli aliquando intercurrebant Alcedonia: ſed tantò valentior, & infeſtior Mars in aciem poſtmodùm redibat, vti ex mutuis illis officiis ſæuitiam videretur colligere, tam hoſtilibus animis

Galli

Galli ac Britanni, alteri alteros infestabant. Porrò, tametsi vna omnium acerbissima pungebatur molestia, quòd nos nullam videbamur, nec perferre, nec capere molestiam ex nostris angustiis: reipsa tamen nobis dolebat grauissimè, quòd eadem ipsa incommoda, quæ retulimus, nos in momenta singula vrgebant asperiùs, neque intereà leuationis spes vlla nobis affulgeret. Et calamitatis quidem nostræ tantò liquidior, & acerbior sensus ex eo fiebat, quòd, in omnium nostrûm oculis, ex Britannia, & Batauia, copiosus, ac pænè quotidianus commeatus, & recentes militum copiæ, ad hostes supportabantur: vt paucis diebus obseruauerimus, eorum suppleri exercitum duabus Ibernorum, & totidem Britannorum

norum Legionibus: vt, quoties luberet, expositis ex classe nouis Legionariis, veteres Legionarios à munitionibus dimitterent, eósque iucunda quiete recrearent. In tanta verò, & militum, & operariorum multitudine, noua in dies comminiscebantur machinamenta, quibus nos diuexarent: quo de genere fuit immensum illud tabulatum, ex quatuor amplioribus iunctum nauigiis, laterum septo emarginatis, imposito aggere terreno, & tormentorum instructu munitum, quod, fluitantis castelli specie, in salo ad ancoras statuerent. Maritima hæc, ac plana tormentorum statio haud procul Arce nostra eo animo collocata erat, vt annonarios lembos in Arcem nobis summissos, ad libellam, tota æquoris superfi

Britannorum machinamenta classica in obsessos.

ſuperficie, diuerberatos, aditu arceret. Quæ machina, poſteà quàm diebus aliquot noſtros offendiſſet oculos, & mentes anxia tentaſſet exſpectatione, quo maximè tempore, infeſtis eam ventis deuouebamus, coorto derepentè violento Cæſia, momento difflata euanuit. Ab huiuſmodi machinamento conuerſi mox ad aliud, ex conſertis nauium malis, firmiſſimum, ante ipſam arcem, vallum exſtruxere, ſed quod, validiſſimè compactum, Oceanus tamen deſpicaretur, & inſtar fluxarum arundinum nullo negotio conuelleret, ſtrágíſque diſſipatas reliquias, partim ad nos, partim ad Continentis oram aſpelleret. Ab hoc ſtrato, dilaniatóque vallo, diſceſſum eſt ad claſſiarium aliud genus munitionis, ſtruendo

do longiore nauium ordine, &c, ducendis ab ora ad oram nauium perpetuis rudentibus, pérque ſuſpenſos rudentes inſertis, ad ipſorum fulturam, vacuis doliolis: ſed naualem hanc ſtructuram lacerantibus ventorum flatibus, coacti ſunt hoſtes ipſi diſſoluere, ne colligata perirent nauigia. Ad extremum, eò decurrere, vt ingentem vim ſcapharum aduersùs noſtram oram, & molem, pro ipſa Arce, applicarent, & congeſtis ſaxis obruerent, rati futuram munitionem perpetuam, ex aggeſta maris æſtu, & coaleſcente humo, quæ ſubſidiarios lembos noſtro portu intercluderet. Verumtamen, quia hoc littus natiua, nudáque rupe totum obducitur, Borea, & Boreæ lateralibus ventis, Cauro, & Cæſia, hanc oram frequenter perflan

perflantibus,nihil maioris molis poteſt ea regione ſubſidere,omnes illæ demerſæ ſcaphæ paucis diebus reuulſæ ſunt. Nos frequentibus interim nunciis noſtros in Continente iugiter monitos eſſe ſtudebamus,omnium, quæ irrita cederent hoſtibus,vti ne perſuaderentur falſis malignorum rumoribus, extra ſpem eſſe fauſti exitus ſummittenda nobis auxilia,nihílque ab eis deſtinandis propterea deterrerentur. Feliciter itaque accidit,vt, medio Auguſto menſe,octo dierum cibaria , vno lemborum commeatu,ab Balinio, Boïatum Præfecto , nobis deſtinarentur, quæ, tenuis licèt, annona fecit ſpem ſubſecuturarum amplioribus copiis aliarum , & omnes Præſidiarios exhilarauit maximoperè, atque ad officium animauit.

mauit. Quòd enim annonarij lembi & facilè appellerentur ad nos,& vnde profecti essent,tutò etiam redirent,tota Continente documento erant,expeditas esse auxiliares omnes in hanc Insulam copias: at ingens spes inde nobis creabatur, hisce modicis, & crebris commeatibus perstaturos nos, dum valida Classis Regia sese Oceano committeret, aut terrestrium cohortium ex Continente ad nos fieret exscensio. Per hæc verò immissa nobis bonæ spei argumenta, ab Rege datæ sunt ad Toërasium litteræ, quæ vniuersum Cracinense præsidium ingenti complerent exspectatione, quòd significarent, singulos Præsidiarios Regi esse, ac fore maximæ in primis curæ: scriptæ autem erant in hæc verba. Quandoquidem

Ludouici littera ad Toërasium.

dem mihi constat, Toërasi, quo animo, qua virtute, & tu, & qui tecum sunt in Martiniana Arce, & vos, & Arcem tueamini aduersùs Britannum, hisce litteris testatum vobis esse volui, quàm grata mihi accidat strenua hæc Arcis, & vestri defensio: eadémque significatum opera cupio, ingẽtis molis à me auxilia comparari, quibus vos Britannica obsidione penitùs liberẽ. Quorum subsidiorum certa fiducia, & te, & quotquót tibi adsunt, quo consilio, & ardore hactenus inter fortissimos emicuistis, in eodem, & causæ meæ tuendæ gratia, & Gallici Regni protegendi nomine, vt confido, constanter perseueraturos, ita volo esse vobis persuasum, me tam munificè, ac splendidè vestram hanc adeò insignem operam, in vniuersis,

Vniuerſis, & ſingulis compenſaturum,vt, quoad vixerint, illuſtres ad memoriam commeritæ mercedis notas præferant. Eius itaque præmij,pro cuiuſque merito deſignandi gratia, volo abs te mihi eorum omnium accuratum indicem perſcribi, qui tecum Martinianæ Arcis ambitu continentur, vti me nullius nec nomen,nec meritum fugiat, neque vel Nobilium,vel Præfectorum, vel militum quiſquam expers mercedis abeat. Vale. *Ludouicus.* Et Toëraſio,& toti Præſidio, ad omne militare munus fortiter obeũdum impensè animatis,nec dici, nec cogitari poteſt,quantum animorum humaniſſimi, ac ſuorum amantiſſimi Regis ſuauiſſimæ litteræ inſuper adiecerunt. Illuſtri documento per eos dies conſtitit, inde Præ-

officiosum me aduersùs ipsos adhibeam. Quoad mihi per ipsa belli iura licuit,censeo hasce honestas liberalis humanitatis leges,in hanc vsque diem, sanctè mihi erga te seruatas esse: quibus etiamnum piè colendis, antè quàm rerum, quas gerimus, ipsa ratio, & necessitas ad noua ineunda consilia, & suscipiendam aliam quamdam tecum agendi viam, inuitum obstringat, è re communi visum est, vti te ad angustiarum vestrarum dispiciendum statum cohortarer. Eæ scilicet huiusmodi sunt, vt,inuicta licèt patientia, eas hactenus toleraueritis,istud tamen vestrum ingentium animorum robur,inani subsidiorum exspectatione fretos, ad eas, vltrà, quàm sapientis consilij sit, perferendas,vos temerè possit prouehere,

uehere,& quidem veſtræ ſalutis ratione quàm peſsima. Hiſce igitur cauſis, & eius doloris adductus fuga, qui meum haud dubiè inceſſerit animum, ſi qua grauior deinceps vos occuparit moleſtia, conſentaneum duxi, te amicè inuitare, vti te, Præſidium, Arcem, & honorifica quidem conditionum formula, mihi lubens, voléníque dederes, quas conditiones exſpectaueris fruſtrà in poſterum, ſi ad eas conſiliorum expediendas rationes, quæ ſunt ad manum, me, parum conſultè, dilata deditione, adegeris. Vale. *Bukinghamius.*
Hac hoſtis vrbanitate neutiquàm emollitus, nec intentatis minarum terriculis fractus, Toëraſius, eius, quod poſtularetur, pernegandi, validis rationibus ex ipſa Bukinghamij epiſtola
liqui

liquidò,& acutè illatis, in hanc ſententiam magnificè reſpondit. Ingenitæ tibi comitatis, & humanitatis inclyta facinora vniuerſo orbi ſunt cognita. Sed, quòd eduntur intercedente illa exquiſiti iudicij trutina, quam ſingulis rebus ſollerter adhibes, æquum eſt ab iis eadem facinora exſpectari quàm maximè, quorum propria ſunt,& ſollemnia rectè facta. Quo de factorum genere, nullum deprehendo præſtantius, quàm vt Regiæ cauſæ tuendæ gratia, quidquid mihi toto corpore ineſt ſanguinis,profundam liberaliter. Eam ipſam ob cauſam hîc lubens ago, cum fortium virorum numeroſa, & inclyta manu, quorum minimè omnium intrepidus,ſibi ab ſeſe factum ſatis non putarit,niſi ad protegendam ar-

cem hanc, quidquid diſcriminum poſſit ingruere, alacriter erit perpeſſus. Atque ita, nec vlla ſuppetiarum deſperatio, nec vllus hoſtilis ad rerum extrema ſæuitię metus, vmquam me poſſint ab tam generoſo conſilio deducere. Neque ſecùs tua quauis gratia me prorsùs indignum rear, ſi officij vel tantillum, in hoc genere negotij omiſerim, cuius non poteſt exitus mihi non glorioſus accidere. Quo autem ampliùs tu ad hanc meam gloriam contuleris, hoc fuero tibi obſtrictior, vt ſim perpetuò tuus. Vale. *Toërasius*. Hanc litterarum viciſſitudinem tam officioſa duos inter Duces conſecuta eſt humanitas, vt, data cuiuſlibet congreſſus occaſione, vt noti, & amici mutuò viſere, ac conſalutare viderētur. Numquam

quam hoſtes inter, infeſtis depugnantes armis, tantùm mutuæ comitatis, & certantium humanitate officiorum, in hanc diem, animaduerſum erat. Nam Bukinghamius, audita ex Nobili Anglo Toëraſij percontatione, cùm ſciſcitaretur, ecquid péponum tota Inſula reliqui eſſet, poſtridie honorario miſſo Nobile, duodenos pépones Toëraſio beneuolè obtulit. Eius nuncio Toëraſius vicenos coronatos aureos numerari iuſſit: ipſum verò Bukinghamium poſtera die citriæ aquæ aureolæ ſenis lagenis, & cyprini pulueris duodenis alabaſtris remunerauit: ſed huius puero ille vicenos Iacobæos rependit. Hoc eodem vrbanitatis officio, vel ab ipſo initio nobiſcum certauerat Bukinghamius: ſiquidem Britan-

nicæ exſcenſionis poſtero die, ad eum ſummiſſo puero honorario, & æneatore, qui mortuos noſtros, ad ſepulturæ iuſta repeterent, cùm infinitam ſermonis comitatem eis beneuolè adhibuiſſet, in eo tamen ſtudioſo officio, non ſibi videbatur ſatis, pro ſua cupiditate, facere: ad quam humanitatem vicenos Iacobæos honorario, denos buccinatori, mercedis nomine, adiecit: cui Toëraſius quinos bello captos Britannos, quinquagenis duplionibus Ibericis muneratos, gratis remiſit. Hæc velut Apollinea quædam internecini belli aliquando intercurrebant Alcedonia: ſed tantò valentior, & infeſtior Mars in aciem poſtmodùm redibat, vti ex mutuis illis officiis ſæuitiam videretur colligere, tam hoſtilibus animis

Galli

Galli ac Britanni, alteri alteros infeſtabant. Porrò, tametſi vna omnium acerbiſſima pungebatur moleſtia, quòd nos nullam videbamur, nec perferre, nec capere moleſtiam ex noſtris anguſtiis: reipſa tamen nobis dolebat grauiſſimè, quòd eadem ipſa incommoda, quæ retulimus, nos in momenta ſingula vrgebant aſperiùs, neque intereà leuationis ſpes vlla nobis affulgeret. Et calamitatis quidem noſtræ tantò liquidior, & acerbior ſenſus ex eo fiebat, quòd, in omnium noſtrûm oculis, ex Britannia, & Batauia, copioſus, ac pænè quotidianus commeatus, & recentes militum copiæ, ad hoſtes ſupportabantur: vt paucis diebus obſeruauerimus, eorum ſuppleri exercitum duabus Ibernorum, & totidem Britannorum

norum Legionibus : vt, quoties luberet, expositis ex classe nouis Legionariis, veteres Legionarios à munitionibus dimitterent, eósque iucunda quiete recrearent. In tanta verò, & militum, & operariorum multitudine, noua in dies comminiscebantur machinamenta, quibus nos diuexarent : quo de genere fuit immensum illud tabulatum, ex quatuor amplioribus iunctum nauigiis, laterum septo emarginatis, imposito aggere terreno, & tormentorum instructu munitum, quod, fluitantis castelli specie, in salo ad ancoras statuerent. Maritima hæc, ac plana tormentorum statio haud procul Arce nostra eo animo collocata erat, vt annonarios lembos in Arcem nobis summissos, ad libellam, tota æquoris superfi

Britannorum machinamenta classica in obsessos.

ſuperficie, diuerberatos, aditu arceret. Quæ machina, poſteà quàm diebus aliquot noſtros offendiſſet oculos, & mentes anxia tentaſſet exſpectatione, quo maximè tempore, infeſtis eam ventis deuouebamus, coorto derepentè violento Cæſia, momento difflata euanuit. Ab huiuſmodi machinamento conuerſi mox ad aliud, ex conſertis nauium malis, firmiſſimum, ante ipſam arcem, vallum exſtruxere, ſed quod, validiſſimè compactum, Oceanus tamen deſpicaretur, & inſtar fluxarum arundinum nullo negotio conuelleret, ſtrágíſque diſſipatas reliquias, partim ad nos, partim ad Continentis oram aſpelleret. Ab hoc ſtrato, dilaniatóque vallo, diſceſſum eſt ad claſſiarium aliud genus munitionis, ſtruendo

do longiore nauium ordine, &c, ducendis ab ora ad oram nauium perpetuis rudentibus, pérque ſuſpenſos rudentes inſertis, ad ipſorum fulturam, vacuis doliolis: ſed naualem hanc ſtructuram lacerantibus ventorum flatibus, coacti ſunt hoſtes ipſi diſſoluere, ne colligata perirent nauigia. Ad extremum, eò decurrere, vt ingentem vim ſcapharum aduersùs noſtram oram, & molem, pro ipſa Arce, applicarent, & congeſtis ſaxis obruerent, rati futuram munitionem perpetuam, ex aggeſta maris æſtu, & coaleſcente humo, quæ ſubſidiarios lembos noſtro portu intercluderet. Verumtamen, quia hoc littus natiua, nudáque rupe totum obducitur, Borea, & Boreæ lateralibus ventis, Cauro, & Cæſia, hanc oram frequenter perflan

perflantibus,nihil maioris molis poteſt ea regione ſubſidere,omnes illæ demerſæ ſcaphæ paucis diebus reuulſæ ſunt. Nos frequentibus interim nunciis noſtros in Continente iugiter monitos eſſe ſtudebamus,omnium, quæ irrita cederent hoſtibus,vti ne perſuaderentur falſis malignorum rumoribus, extra ſpem eſſe fauſti exitus ſummittenda nobis auxilia,nihilque ab eis deſtinandis propterea deterrerentur. Feliciter itaque accidit,vt, medio Auguſto menſe,octo dierum cibaria, vno lemborum commeatu,ab Balinio, Boïatum Præfecto, nobis deſtinarentur, quæ, tenuis licèt, annona fecit ſpem ſubſecuturarum amplioribus copiis aliarum, & omnes Præſidiarios exhilarauit maximoperè, atque ad officium animauit.

mauit. Quòd enim annonarij lembi & facilè appellerentur ad nos,& vnde profecti essent,tutò etiam redirent,tota Continente documento erant,expeditas esse auxiliares omnes in hanc Insulam copias: at ingens spes inde nobis creabatur, hisce modicis, & crebris commeatibus perstaturos nos, dum valida Classis Regia sese Oceano committeret, aut terrestrium cohortium ex Continente ad nos fieret exscensio. Per hæc verò immissa nobis bonæ spei argumenta, ab Rege datæ sunt ad Toërasium litteræ, quæ vniuersum Cracinense præsidium ingenti complerent exspectatione, quòd significarent, singulos Præsidiarios Regi esse, ac fore maximæ in primis curæ: scriptæ autem erant in hæc verba. Quandoquidem

Ludouici litteræ ad Toërasium.

dem mihi conſtat, Toëraſi, quo animo, qua virtute, & tu, & qui tecum ſunt in Martiniana Arce, & vos, & Arcem tueamini aduersùs Britannum, hiſce litteris teſtatum vobis eſſe volui, quàm grata mihi accidat ſtrenua hæc Arcis, & veſtri defenſio: eadémque ſignificatum opera cupio, ingẽtis molis à me auxilia comparari, quibus vos Britannica obſidione penitùs liberẽ. Quorum ſubſidiorum certa fiducia, & te, & quotquót tibi adſunt, quo conſilio, & ardore hactenus inter fortiſſimos emicuiſtis, in eodem, & cauſæ meæ tuendæ gratia, & Gallici Regni protegendi nomine, vt confido, conſtanter perſeueraturos, ita volo eſſe vobis perſuaſum, me tam munificè, ac ſplendidè veſtram hanc adeò inſignem operam, in vniuerſis,

vniuersis, & singulis compensaturum, vt, quoad vixerint, illustres ad memoriam commeritæ mercedis notas præferant. Eius itaque præmij, pro cuiusque merito designandi gratia, volo abs te mihi eorum omnium accuratum indicem perscribi, qui tecum Martinianæ Arcis ambitu continentur, vti me nullius nec nomen, nec meritum fugiat, neque vel Nobilium, vel Præfectorum, vel militum quisquam expers mercedis abeat. Vale. *Ludouicus.* Et Toërasio, & toti Præsidio, ad omne militare munus fortiter obeũdum impensè animatis, nec dici, nec cogitari potest, quantum animorum humanissimi, ac suorum amantissimi Regis suauissimæ litteræ insuper adiecerunt. Illustri documento per eos dies constitit, inde Præ-

 sidiariis

ſidiariis valdè exaggeratum eſſe animi robur, cùm, tertio Nonas Septembres, iuſſi ſunt Ordinum Structores duo, cum quadragenis canteriatis catapultariis, & vicenis inermibus operariis, diſiicere hoſtium doliarium aggerem: quo munere mox tanto ardore, ac impetu defuncta eſt exigua illa manus, vt, deturbata cadorum ordinata ſtrue, conſternati hoſtes, vel ſuis etiam omnes exigerentur munitionibus. Pridie verò Septembrium Iduum, de octo annonariis ſcaphis Sanbenedictino ex amne ab Ricarderio ſummiſſis, Maupaſio eius filio duce, per medios hoſtes fortiſſimè irrumpente, ad nos vna appulſa eſt, ſeptem aliis ab Britanno reiectis, & vi ventorum aliò abactis. Vnius, aut alterius diei cibaria, & Chappeę Legionis

gionis ſeptuaginta quinque milites aduehebat ea nauicula, quam vt incenderent Britanni, toto mox littore copias explicauerant: ſed, ab noſtris peſſimè habiti, frequentem amiſere militem, duos Centuriones, Subcenturiones totidem, Vexillarium vnum, vnúmque Ordinum Structorem. Per idem tempus Britannus quoque periit Chiliarchus Borrachius, vniuerſi exercitus Proprætor, vir apud eos maximi nominis, cuius nece ita exarſerunt, vt eam nobis funeſtam fore denunciarent. Poſteræ igitur diei primore aurora, cùm ipſorum conſilium ingens Oceani altitudo, & ſumma tranquillitas adiuuaret, proximè oram ſubductis nauibus, plus trecentorum tormentorum inſtructo ordine, ac deiectis, luctus

ſignificandi cauſa, nauium tota claſſe tabernaculis, Arcis intima totum diem atrociter diuerberarunt. Hoſtilium glãdium vna, acerbo totius Præſidij vulnere, caſu delata in Montferrierium, Toëraſij fratrem, ea plaga fortiſſimum virum afflixit, vnde poſt horam exſpiraret: ſícque, hac die, noſter; priore, hoſtilis exercitus, eum quiſque virum amiſerit, cuius, extra Duces, iactura ſibi eſſet omnium luctuoſiſſima. Decimo poſt fœdam hanc diuerberationem die, palam, ac pomeridianis horis, irruptionem fecere Britanni in caput munitionis, omnium de noſtris prouectiſsimæ, versùs oram maris, quò pridem oculos adiecerant, & animos, frequenter intẽtatis multiplici tormento glandibus: ſed ſuus eis conatus

Secunda impreſſio Britannorum in Martinianos.

tus cecidit infelicissimè, multis desideratis eo prœlio de suis militibus. Eruptionibus nostra ex Arce ab initio non instituimus crebriùs diuexandos munitores hostium, quòd, & longissimè ab nostro Præsidio munire occœpissent, & si quando erumperemus, sui non facerent copiam, sed in sua perfugerent castella, quorum septis clausi se tegerent. In obsidionis verò progressu, morbis admodum debilitata Præsidij magna parte, iam ad paucos, pugnæ idoneos, deueneramus, qui occuparentur vniuersi tuẽdis exteriorum munitionum peramplis operibus. In summis rerũ omnium angustiis, duos iam menses, ac dimidiatum pænè mensem, obsessi tolerabamus vim, cùm Præsidiariorum maxima pars, & Volun-

tarij cum primis, desperatione annonæ, ac militaris subsidij, cum hoste paciscendum palàm iactarent, & nonnulli auderent comminisci, ac tentare, quæ pudeat scribere. Latuit siquidem aliquot dies clandestini mali consilium eiusmodi, vt si erumperet, tametsi ad paucos pertinebat, omne Præsidium luctuosa damnaret infamia, & vniuersis fortasse ingentem calamitatem infligeret. Verumtamen illud, insigni compertum sollertia, Toërasius incredibili prudentia, & felicitate priùs ferè oppressit, quàm exortum à paucis deprehenderetur. Apertè profitebatur ille quidem, dolere se in primis amicorum, ac deinde cæterorum grauia incommoda: sed nec istorum, nec illorum vlla gratia deduci ab eo consilio poterat,

terat, vt non ſibi malorum vltima experiunda potiùs,& perpetienda decerneret, quàm vt pactorum cum hoſte admitteret mentionem. Ipſius porrò is vultus,ſermo,animus, tota obſidione, animaduerſus eſt, tametſi eadem omnia pateretur, quæ cæteri,præter ipſam Præſidij totius adminiſtrationem, vt nullo vmquam tentaretur tædio,nulla tangeretur moleſtia, &, ſuper hæc omnia,in hoc Regio procurando negotio, infiniti cuiuſdam ardoris flamma iugiter æſtuaret. Sed,grauibus,& plurimis incommodis, tanta alacritate animi & vultus tolerandis, non intermittebat perpetuas ad Regem, ad Aulæ Proceres, ad vicinorum Caſtrorum Duces, dare litteras, quibus euincebat neceſſariò tuendam hanc Ar-

ſuperficie, diuerberatos, aditu arceret. Quæ machina, poſteà quàm diebus aliquot noſtros offendiſſet oculos, & mentes anxia tentaſſet exſpectatione, quo maximè tempore, infeſtis eam ventis deuouebamus, coorto derepentè violento Cæſia, momento difflata euanuit. Ab huiuſmodi machinamento conuerſi mox ad aliud, ex conſertis nauium malis, firmiſſimum, ante ipſam arcem, vallum exſtruxere, ſed quod, validiſſimè compactum, Oceanus tamen deſpicaretur, & inſtar fluxarum arundinum nullo negotio conuelleret, ſtrágíſque diſſipatas reliquias, partim ad nos, partim ad Continentis oram aſpelleret. Ab hoc ſtrato, dilaniatóque vallo, diſceſſum eſt ad claſſiarium aliud genus munitionis, ſtruendo

do longiore nauium ordine, &, ducendis ab ora ad oram nauium perpetuis rudentibus, pérque ſuſpenſos rudentes inſertis, ad ipſorum fulturam, vacuis doliolis: ſed naualem hanc ſtructuram lacerantibus ventorum flatibus, coacti ſunt hoſtes ipſi diſſoluere, ne colligata perirent nauigia. Ad extremum, eò decurrere, vt ingentem vim ſcapharum aduersùs noſtram oram, & molem, pro ipſa Arce, applicarent, & congeſtis ſaxis obruerent, rati futuram munitionem perpetuam, ex aggeſta maris æſtu, & coaleſcente humo, quæ ſubſidiarios lembos noſtro portu intercluderet. Verumtamen, quia hoc littus natiua, nudáque rupe totum obducitur, Borea, & Boreæ lateralibus ventis, Cauro, & Cæſia, hanc oram frequenter perflan

perflantibus,nihil maioris molis poteſt ea regione ſubſidere,omnes illæ demerſæ ſcaphæ paucis diebus reuulſæ ſunt. Nos frequentibus interim nunciis noſtros in Continente iugiter monitos eſſe ſtudebamus,omnium, quæ irrita cederent hoſtibus,vti ne perſuaderentur falſis malignorum rumoribus, extra ſpem eſſe fauſti exitus ſummittenda nobis auxilia,nihílque ab eis deſtinandis propterea deterrerentur. Feliciter itaque accidit,vt, medio Auguſto menſe,octo dierum cibaria , vno lemborum commeatu,ab Balinio , Boïatum Præfecto , nobis deſtinarentur, quæ , tenuis licèt , annona fecit ſpem ſubſecuturarum amplioribus copiis aliarum , & omnes Præſidiarios exhilarauit maximoperè , atque ad officium animauit.

mauit. Quòd enim annonarij lembi & facilè appellerentur ad nos,& vnde profecti essent,tutò etiam redirent,tota Continente documento erant,expeditas esse auxiliares omnes in hanc Insulam copias: at ingens spes inde nobis creabatur, hisce modicis, & crebris commeatibus perstaturos nos, dum valida Classis Regia sese Oceano committeret, aut terrestrium cohortium ex Continente ad nos fieret exscensio. Per hæc verò immissa nobis bonæ spei argumenta, ab Rege datæ sunt ad Toërasium litteræ, quæ vniuersum Cracinense præsidium ingenti complerent exspectatione, quòd significarent, singulos Præsidiarios Regi esse, ac fore maximæ in primis curæ: scriptæ autem erant in hæc verba. Quandoquidem

Ludouici littera ad Toërasium.

dem mihi constat, Toërasi, quo animo, qua virtute, & tu, & qui tecum sunt in Martiniana Arce, & vos, & Arcem tueamini aduersùs Britannum, hisce litteris testatum vobis esse volui, quàm grata mihi accidat strenua hæc Arcis, & vestri defensio: eadémque significatum opera cupio, ingẽtis molis à me auxilia comparari, quibus vos Britannica obsidione penitùs liberẽ. Quorum subsidiorum certa fiducia, & te, & quotquòt tibi adsunt, quo consilio, & ardore hactenus inter fortissimos emicuistis, in eodem, & causæ meæ tuendæ gratia, & Gallici Regni protegendi nomine, vt confido, constanter perseueraturos, ita volo esse vobis persuasum, me tam munificè, ac splendidè vestram hanc adeò insignem operam, in

vniuersis,

vniuersis, & singulis compensaturum, vt, quoad vixerint, illustres ad memoriam commeritæ mercedis notas præferant. Eius itaque præmij, pro cuiusque merito designandi gratia, volo abs te mihi eorum omnium accuratum indicem perscribi, qui tecum Martinianæ Arcis ambitu continentur, vti me nullius nec nomen, nec meritum fugiat, neque vel Nobilium, vel Præfectorum, vel militum quisquam expers mercedis abeat. Vale. *Ludouicus.* Et Toërasio, & toti Præsidio, ad omne militare munus fortiter obeũdum impensè animatis, nec dici, nec cogitari potest, quantum animorum humanissimi, ac suorum amantissimi Regis suauissimæ litteræ insuper adiecerunt. Illustri documento per eos dies constitit, inde Præ-

ſidiariis valdè exaggeratum eſſe animi robur, cùm, tertio Nonas Septembres, iuſſi ſunt Ordinum Structores duo, cum quadragenis canteriatis catapultariis, & vicenis inermibus operariis, diſiicere hoſtium doliarium aggerem: quo munere mox tanto ardore, ac impetu defuncta eſt exigua illa manus, vt, deturbata cadorum ordinata ſtrue, conſternati hoſtes, vel ſuis etiam omnes exigerentur munitionibus. Pridie verò Septembrium Iduum, de octo annonariis ſcaphis Sanbenedictino ex amne ab Ricarderio ſummiſſis, Maupaſio eius filio duce, per medios hoſtes fortiſſimè irrumpente, ad nos vna appulſa eſt, ſeptem aliis ab Britanno reiectis, & vi ventorum aliò abactis. Vnius, aut alterius diei cibaria, & Chappeę Legionis

gionis ſeptuaginta quinque milites aduehebat ea nauicula, quam vt incenderent Britanni, toto mox littore copias explicauerant: ſed, ab noſtris peſſimè habiti, frequentem amiſere militem, duos Centuriones, Subcenturiones totidem, Vexillarium vnum, vnúmque Ordinum Structorem. Per idem tempus Britannus quoque periit Chiliarchus Borrachius, vniuerſi exercitus Proprætor, vir apud eos maximi nominis, cuius nece ita exarſerunt, vt eam nobis funeſtam fore denunciarent. Poſteræ igitur diei primore aurora, cùm ipſorum conſilium ingens Oceani altitudo, & ſumma tranquillitas adiuuaret, proximè oram ſubductis nauibus, plus trecentorum tormentorum inſtructo ordine, ac deiectis, luctus

significandi causa, nauium tota classe tabernaculis, Arcis intima totum diem atrociter diuerberarunt. Hostilium gladium vna, acerbo totius Præsidij vulnere, casu delata in Montferrierium, Toërasij fratrem, ea plaga fortissimum virum afflixit, vnde post horam exspiraret: sícque, hac die, noster; priore, hostilis exercitus, eum quisque virum amiserit, cuius, extra Duces, iactura sibi esset omnium luctuosissima. Decimo post fœdam hanc diuerberationem die, palam, ac pomeridianis horis, irruptionem fecere Britanni in caput munitionis, omnium de nostris prouectissimæ, versùs oram maris, quò pridem oculos adiecerant, & animos, frequenter intẽtatis multiplici tormento glandibus: sed suus eis cona-

Secunda impressio Britannorum in Martinianos.

tus cecidit infelicissimè, multis desideratis eo prœlio de suis militibus. Eruptionibus nostra ex Arce ab initio non instituimus crebriùs diuexandos munitores hostium, quòd, & longissimè ab nostro Præsidio munire occœpissent, & si quando erumperemus, sui non facerent copiam, sed in sua perfugerent castella, quorum septis clausi se tegerent. In obsidionis verò progressu, morbis admodum debilitata Præsidij magna parte, iam ad paucos, pugnæ idoneos, deueneramus, qui occuparentur vniuersi tuẽdis exteriorum munitionum peramplis operibus. In summis rerũ omnium angustiis, duos iam menses, ac dimidiatum pænè mensem, obsessi tolerabamus vim, cùm Præsidiariorum maxima pars, & Volun-

tarij cum primis, desperatione annonæ, ac militaris subsidij, cum hoste paciscendum palàm iactarent, & nonnulli auderent comminisci, ac tentare, quæ pudeat scribere. Latuit siquidem aliquot dies clandestini mali consilium eiusmodi, vt si erumperet, tametsi ad paucos pertinebat, omne Præsidium luctuosa damnaret infamia, & vniuersis fortasse ingentem calamitatem infligeret. Verumtamen illud, insigni compertum sollertia, Toërasius incredibili prudentia, & felicitate priùs ferè oppressit, quàm exortum à paucis deprehenderetur. Apertè profitebatur ille quidem, dolere se in primis amicorum, ac deinde cæterorum grauia incommoda: sed nec istorum, nec illorum vlla gratia deduci ab eo consilio poterat,

terat, vt non ſibi malorum vltima experiunda potiùs,& perpetienda decerneret, quàm vt pactorum cum hoſte admitteret mentionem. Ipſius porrò is vultus,ſermo,animus, tota obſidione, animaduerſus eſt, tametſi eadem omnia pateretur, quæ cæteri,præter ipſam Præſidij totius adminiſtrationem, vt nullo vmquam tentaretur tædio,nulla tangeretur moleſtia, &, ſuper hæc omnia,in hoc Regio procurando negotio, infiniti cuiuſdam ardoris flamma iugiter æſtuaret. Sed,grauibus,& plurimis incommodis, tanta alacritate animi & vultus tolerandis, non intermittebat perpetuas ad Regem, ad Aulæ Proceres, ad vicinorum Caſtrorum Duces, dare litteras, quibus euincebat neceſſariò tuendam hanc Ar-

cem, & totam Insulam, ac eius tuendæ faciles ostendebat rationes, si eis regionibus, quas indicabat, ab hostiũ statione immũnibus, ad Pratense Castellum auxilia destinarentur. Ingens, ac perpetuum erat Regis studium in apparanda annona, & cogendo militari subsidio: nihilo item minor obseruabatur Cardinalis Richelici sollicitudo ad eadem auxilia: Toërasij verò amicorum tantus ardor emicabat, vt plerique, promouendo commeatu, capitis pericula sponte incurrerent. Apud Broagium, Santonicæ oræ maritimam Arcem, & eiusdem tractus *Vliarum* Insulam, octonis millibus ab Cracina disiunctam, & ad Olonia Pictonici littoris Sabuleta, amplus cogebatur commeatus, qui vniuersus visus est subuehendus in hanc

Cõmeatus paratur Martinianis.

hanc tertiam ſtationem, vti opportuniorem declinandis Britannorum incurſionibus. Ipſis ergo Octobribus Nonis, plenilunij copioſiore Oceani æſtu ſpem nobis faciente, in multa annonæ exſpectatione verſabamur, niſi quòd, quaternas, & ampliùs iam horas matutinas, aduerſus Africus ſpem minuebat, qui tandem in Caurum vertit feliciſſimè, quo obſecundante, triginta quinque annonarij lembi vela fecere ad nos in Cracinam Inſulam. Ex eo numero impegere in Britannorum exploratorias naues duo lembi: longiore interuallo ſubſequẽtes alij octo, reflantibus ventis, aliò ſunt auerſi: viginti quinque noſtrum tenuere portum. Vnà cum cibariis vehebantur octoginta ex Caſtillierij Legionariis, quibus, honorificæ

ficæ acceſſionis nomine, Volũtarij ſe adiũxere, Marchio Grimaldius, Riuierius, Puigreſierius, Broïllius, Gribaunalius, Roquefontierius, Iõquierius, Heruillierius, & ex eadẽ Nobiliũ Decuria nõnulli alij. Annonariã hãc Claſsẽ ducendã ſibi ſumſerãt viri nobiles, & fortes, Dandoïnius, eius Prætor, Lauræus, Raſillius, Beaulieus, Perſacius, quorum virtute, nequidquam obnitentibus hoſtibus, Sammartiniano littori ſe ſtitit incolumis. In omnem eiuſcemodi traiectus occaſionem, expeditas Britanni habebant Incendiarias Liburnicas, quarum vnam adegerunt poſt eos lembos, qui traiecerant incolumes, quæ vento eodem delata, & noſtris permiſta lembis, eidem quoque oræ ad nos eſt appulſa. Hoſtiliſne, an amica eſſet, ne agnoſ

agnoſceretur,vetuere nocturnæ tenebræ, quoad incendio deſtinatus ignis ſeipſe, ac nauem prodidit,vnáque Britanni tres ex ea ſupplices,vitam ſibi ab noſtris paciſci occœperunt. Omnium, qui aderant,ea fuit ſententia, vt eiſdem flammis,quas ipſi veherent,vſtulandi traderentur:vnus tamen Toëraſius alia omnia cenſuit,& è medio incendio extrahendos iuſſit,quibus eductis, Liburnica ſuis ipſa ignibus deflagrauit, cæteris incolumibus à flamma nauigiis,à quibus reflantis venti vis incendium auerteret. Iſte Incendiariæ nauis caſus acerbè pupugit Britannorum animos, vt ex eo tumultuantes in ſuis munitionibus audirentur, & ſubitariæ impreſſionis terricula nobis intentantes: qui eorum dolor eam expreſſit infeſta-

rum glandium vim, quæ tota nocte reliqua noſtram oram diuerberaret,& Broïllium, de annonariæ Claſſis ducibus vnum, eo ipſo tempore aduentantem, nobis auferret. Per nocturnas tenebras continenter detonuerat magna multitudo hoſtilium tormentorum, vt nobis in portu, ſi fieri poſſet, noſtra corrumperetur annona: ab ipſa verò aurora, cœptæ ſunt librari perpetuæ ignitæ glandes, ipſis nauibus, & annonæ, concremandis, in ſecundam vſque horam de meridie, ſed irrita prorsùs opera. Ab ea mox hora, ingenti, cuiuſque modi, ac generis nauium apparatu, Incendiaria item præmiſſa Celoce, noſtros in lembos magno conatu fecere impetum, maximo tumultu, & ab illis, & à nobis, perſonantibus tormentis, exigua viro-

Tertia Britannorum impreſſio.

virorum, maiore nauium clade, eis impensè connitentibus, vt Incēdiaria Celox medias in noſtras naues adigeretur, quod & demũ, nulla lemborum noxa, euicerunt. Quòd autē copioſus, ac varius, ac in ſeſquimenſem erat commeatus, ingenti Præſidiarios gaudio, ac ſpe compleuit; ſed lætitiæ, ac fiduciæ immenſum cumulum adiecere Regis ad Toëraſium litteræ, humanitatis, ſtudij, promiſſorum, erga Ducem, & Præſidiarios vniuerſos, pleniſſimæ: quas litteras conſecutus, ſub exeuntem Septembrem, ipſius Regis in Caſtra aduentus, illum gaudij cumulum fecit omni cumulo ampliorem. Inopinata horum nunciorum auditio permoleſta Britannorum accidit auribus, obſidendíque, ac oppugnandi adeò ſtupefecit

fecit ardorem, vti octo ipsos continentes dies, suis in munitionibus taciti, otiosa tormenta pænè habuerint, póstque octauum diem, suis aggeribus detracta in naues ea subduxerint, collectísque vasis, reditum in Britanniam cœperint adornare. Sed, quoniam, quem ad supplementa exercitus asportanda, Bukinghamius in Britanniam miserat, per eos ipsos dies, Olbierius rediit, spémque ipsi fecit auxiliariorum sex millium; Rupeculani verò legati, ab Sobisio in Castra adducti, Bukinghamium vehementiùs, ne se desereret, obtestati sunt, annonæ, ac militum quidquid opus esset, polliciti suffecturos; subsistendi consilium cepit Britannus. Et cæli grauitas, & latissimè grassans acerbitas morborum, ho-

ſtem afficiebat peſſimè, neque nos habebant clementiùs & hæc, & alia incommoda, vt nobis accideret moleſtiſſimè initum ab hoſte perſtandi in obſidione conſilium, cuius diſceſſum iucunda exſpectatione, paullò antè, hauſeramus. Britãni porrò immanium Operum, quæ deſignauerant, pertæſi, varia iniuerunt conſilia cogendarum munitionum in anguſtiorem ambitum: & nunc Martinianum pagum, nunc Loïam Inſulam, nũc Semblancæum Cornu ſibi ſumſere, ad claudenda Caſtra muniendum, inchoatiſque, ad hæc omnia loca, munitionibus, tandem in Loïa Inſula perſtitere. Toëraſius aſſiduè intereà vrgebat apud Regem militaris ſubſidij traiectum in Præ-tenſe Caſtellum, Regiis Caſtris
propè

propè finitimum, oſtendebátque, nec Semblancæas, nec Martinianas, nec vllas alias hoſtis munitiones, illo nos traiectu poſſe prohibere. Qui præſens coram ſermone ipſo Regem commonefaceret, è Nobilium claſſe clarus Pruïllius, ſociis aſſumtis, Langalerio, Rauignio, & Villechartæo amicis, ab Toëraſio aſſiduis precibus euicit, vti ſe ad Regem deſtinaret. Qua miſſione impetrata, Britannorum ementiti ſpeciem, qui, noſtras ſtationes adorti, refugerent ad ſuos, præter Langalerium, cæſo equo impeditum, & captum, omnes incolumes poſtridie ad Regem in Caſtra peruenere. Pruïllius, Regem allocutus, mox iuſſus eſt, ad Toëraſium redire, expedita ſubſidia nunciare, ac eis excipiendis comparare Præ-

ſidiarios.

ſidiarios. Tam fauſtis, in Martinianam Arcem miſſis nunciis, Rex ſubſidiarias copias in naues inſtituit imponere, ac ea quidem cura, vt inſcenſuros nauigia milites ipſe ſingulos per ſe legeret, lectos nominatim ad fortes induendos animos cohortaretur, eorum quemlibet amplexatus, comiter ab ſe dimitteret, &, impreſſo Crucis ſigno, cuilibet benè precatus, Numini commendaret. Ea humanitas, illud ſtudium, ea beneuolentia optimi Principis in ſuos, tanto ardore, vindicandæ ab Britannis hoſtibus Cracinæ Inſulæ, vniuerſa Caſtra affecit, vt totus exercitus illam ſibi expeditionem auidiſſimè depoſceret, & qui repulſam ferret, iniuriam accipere ſe arbitraretur. Honorificam hanc prouinciam ſtudio-

ſiſſimè,

ſiſſimè, ac impatientiſſimè ambientium, & ſibi denegatam querentium, continentes illæ voces audiebantur: Ego verò, Rex æquiſſime, cur, ſicut ille, atque ille, armis ſuccinctus non traiiciam? Quorum iuſtis, & officioſis querelis vt mite lenimentum adhiberet Princeps humaniſsimus, viciſsim reponebat: Numquid & ego, traiicientibus vniuerſis, hîc apud mea Caſtra reſidebo ſolitarius? Quo reſponſo fiebat, vt reſtanti Regi nemo non lubens remaneret comes. Regis autem animo tam altè inſederat cura ſummittendi ad ſuos Cracinenſes, auxilia, vt quo ex die in Caſtra conceſſerat, verſatilis gnomonis indicem ventorum capſulam perpetuò haberet in manibus, ex qua, in momenta ſingula, idoneam traiectus, ad

Craci

Cracinense Præsidium, exploraret tempestatem : ac sæpiùs de nocte consurgens, adhibito ad fenestram lumine, spirantis venti regionẽ obseruaret ex obiecta vicinæ turris pinnula. Quo loco esset Arx Martiniana, quo numero eius Arcis Præsidiarij, apud Optimum Principem, eius incredibilis illa noscendorum ventorum sollicitudo, totis Castris vulgatissima, incomparabili pugnæ in Britannos ardore vniuersum complebat exercitum, vt, expediendæ huic Regiæ sollicitudini, omnes suam vitam deuouerent quàm liberalissimè. Cunctis igitur Ducibus impenso Regis studio obsecundantibus, imposita nauigiis militaria, & cibaria subsidia felicem tenuere cursum, atque, ab decimo quarto ad quartum Calendas

Nouembreis, diuersis tribus cõmeatibus, milites septingeni de Prętoriana Legione, quingeni, & quinquageni de Pralinia, quingeni & septuageni de Beaumontia, déque Regia grauium Equitum ala quadrageni, secundo delati vento, exscendere in Pratense Castellum. Quòd autem huiusce traiectus naues, paullò longiùs ab Castello, sese littori admouerant, accurrere mox ab exscensione nostrorum Britanni, vt eas expugnarent, sed tam incautè, ac tam infeliciter, vt incolumibus nostris, ipsi sese mutuis vulneribus conficerent. De cætero, perseuerabant in priore instituto muniendæ Loïæ Insulæ, vnde suo deinde commodo in Britanniam soluerent, hócque suum cõsilium nobis identidem inculcabant: sed, impor-

tunitate victi Rupeculanorum, mutata sententia, ante discessum, sollēni omnium copiarum oppugnatione statuunt Martinianam Arcem vltimùm experiri. In eam rem, quarto Nonas Nouembreis sub vesperam, suas munitiones occipiunt milite frequentare, ac postridie manè easdem complere instituunt: quibus omnibus animaduersis, Toërasius iubet, vniuersum armari totis munitionibus Præsidium, neque multò pòst, quatuor continentibus auditis tormentorum iactibus, quæ fuit ineundæ irruptionis tessera, omnibus Operum nostrorum frontibus, ac lateribus ingruente armato Britanno, cœpimus oppugnari. Quinis armatorum millibus ad hanc impressionem inuehebatur hostis, qui, vt vniuersas

munitio

munitiones Arcis, veluti corona cingeret, & impugnaret eodem tempore, in duo tamen maximè propugnacula, Toërasianum, & Antiochenum irruptionis impetus destinabatur. Ac in Toërasianum quidem, è regione Arcis, oræ maritimæ obuersum, vnum ex omnibus nostris Operibus, minimè munitum, in quo nihildum ædificatum fuerat, bina hostium millia impetum acriter intenderunt, quinquagenis erectis ad ascensum scalis, animos ad id faciente nostrorum haud effuso in eos procursu, quibus mens fuerat, propugnaculi exteriora, vt effusioris laxitatis, hosti permittere, interiora dumtaxat propugnare. Ad hæc occupanda, cùm incautiùs admotas scalas inscendissent, rati tam procliue futurum

Quarta Britannorum impressio.

rum

rum intima munitionis peruadere, quàm facile fuerat derelicta extima transcurrere, magna virtute depellentibus nostris, retrò, vnde prouecti erant, proturbati, temeritatis acerbiores dedere pœnas. Lunatæ huius munitionis præsidio destinatus Nargonius, in Britannos Princeps omnium fecit impetum, summa bellicæ virtutis laude, cuius globo, subsidiis firmando, summissus Tibaudius, pari fortitudinis gloria, victoriæ comes, & adiutor assiduus adfuit. Antiochenum propugnaculum, Toëratiano longè celsius, ac multò munitius inuascre vno tempore hostes, instructa mille, ac ducentorum pugnatorum acie, quibus facile fuit traiecta valli priore crepidine, ac lapidosi soli fossa, in exiguam altitudinem

tudinem depressa, euadere ad ipsam propugnaculi vsque frontem, apud quam summa nostrorum alacritate, ac virtute sunt excepti. Eò delatis hostibus, sexcenûm ex eis armatorum densè structus globus iussus est, in prominentem propugnaculi cuneum irrumpere, huius globi latera cingentibus, & subsidio firmantibus, trecenis hinc, & inde auxiliariis. Ima huius cunei, fossam inter, & ipsum propugnaculum, occupauerant nostri eius munitionis defensores, quibus omni telorum genere impetentibus hostilem globum illum, & globi vtraque subsidia, viribus, & animo fractus Britannus terga vertit, suas in munitiones fuga se recepit, quò, multa cum eius strage, noster eum miles victor est insecutus. Singulis munitionum

nitionum nostrarum tuendis regionibus bellica virtute clarissimi, cum suo quisque militari globo præsidebant, quorum pridem perspecta fortitudo multò etiam splendidiùs emicuit, hostili hac impressione per duas continentes horas, eóque ampliùs, propulsanda. Ima propugnaculi Antiocheni, eius frontem inter atque subiectam fossam, tuebatur Stagnæus: Toërasiani aggeris eamdem quoque regionem, ad intima fossæ labra, Montautius: alteram Toërasicæ munitionis frontem, mari obiectam, Clediæus: eiusdem propugnaculi vnum lunatum cornu, Vigeanus: alterum ipsius hemicyclum, ad oram maris, Chappeæ Legionis manipularij: tertium eiusdem munitionis arcuatum cuneum, Gauteretius, &

Martinianorũ virtus bellica.

Varennius, omnes bellicis facinoribus, hoc prœlio editis, perquàm insignes. Depulso Britanno nostri tam acriter institere, vt scalarum, aggeribus admotarum, nullam; militum, in fossa, & vallo cæsorum, paucos recceperint: quinquagenos, è Præfectis ferè omnes, vi captos, sexcenos ferro peremtos, amiserint: è nostris duodeviginti militum, Præfectorum duo dumtaxat desiderati sint. Huius prœlij parum fortunatus Britannis exitus, tantum formidinis eorum totis Castris incussit, vt tuendarum munitionum spem planè abiecerint, eásque mox deseruerint, receptósque à Toërasio cæsos de suis, modica humo, in ipsis munitionum fossis, obruerint, vnde constaret, soluendæ obsidionis ipsos agitare consilia, & reditum

reditum parare in Britanniam. Iam verò mirabitur magnoperè, quantum hac pugna effecerimus, qui nouerit duas Præsidiariorum militum ſolidas tertias, peſſimè affectis corporibus, aut maligna febri, aut dyſenterico profluuio, aut grauiore alio languore, ſtratas iacuiſſe in grabatis, cùm ad arma conclamatum ſit: ſed ad eam periculi ſignificationem, omnium ægrorum animis, & lacertis tantum de cœlo derepentè infuſum vigorem, vt, nullo diſcrimine morbi, vel ſanitatis, armati omnes ad aggerem prouolarint. De grauiter ægrotantibus nonnulli, cùm extra ordinem animis inditus ardor in prœlium eos eduxiſſet; immodica verò iaculandi contentione, planè exhauſiſſet viribus, contubernalem paucis affati,

Ægrotorum virtus in arce tuenda.

ti, ſuam ſupellectilem ei ſe legare profeſſi ſunt, rogantes, vt ad ſepulcralem foſſam ſibi aperiendam properaret: ac mox eum ſubſecuti pedibus, in via ipſa læti exſpirarent. Martiniana in Arce, octingentos de noſtris, aut bello cæſos, aut morbis exſtinctos, terræ mandauimus: circa hanc Arcem, & aliis Inſulæ regionibus, octona Britannorum millia periiſſe comperimus. Hi ergo, ſuis admoniti cladibus, etiam ante hanc poſtremam impreſſionem, minùs probroſi diſceſſus captanda occaſione qualibet, reditum in patriam meditabantur, eóque claſſem adornabant, niſi Rupeculanorum multæ preces, & immodica promiſſa intercederent. Et, biduo quidem ante vltimam irruptionem, Bukinghamius ab Canapléo

pléo rogatus, vti, perſcriptis ab eo commeatus tabulis, liceret nobilibus tribus viris ſauciis, de ſua cohorte, per Britannicas ſtationes in Continentem traiicere, reſpondit, per ſe licitum iri propediem, non ægris modò, ſed ſanis etiam omnibus, ſine vlla noxa, in Continentem tranſmittere. Maturioris porrò ſuæ diſceſſionis cauſam ſubtexebat; Ne, inquit, quæ vni Toëraſio debetur profectionis noſtræ gloria, Gallis cæteris, in Cracinam deinceps tranſgreſſuris, falsò aſſignetur. Poſtera item die, quàm à nobis ad aggeres Martinianos victus abiſſet, ad Toëraſium miſit Bukinghamius de ſua cohorte honorarium Nobilem, qui eius verbis ſalutem ipſi nunciaret, & aſſereret,

Bukinghamius victum ſe vltrò fatetur.

eò ſe animo naues conſcendere,vti ſuæ fugæ ſolidam gloriam vni Toëraſio, iuſtam eius virtutis mercedem, conſignaret, ac relinqueret, cuius vnius eſſe propriam ipſe vltrò, ac lubens agnoſceret. Itaque, ante diem ſeptimum Idus Nouembreis, ſoluturi fuerant Britanni ex ſuis ad Loïam Inſulam aggeribus, niſi, qui magnis eos cladibus implicauerant, Rupeculani, vno die impetrato, ad aſportanda ſuam in vrbem caſtrenſia Britannorum frumenta, eóſdem ad grauiſſimam omnium incurrendam ſtragem ſuis obteſtationibus irretiiſſent. Enimverò Nouembrium Iduum ipſo ſexto die ſub noctem, ductore Schombergio, Gallicorum Caſtrorum Præfecto, ſupra mille octingẽtos Legionariorum, nuper deportatos

in

in Pratenſe Caſtellum, eódem trāſvecti ſunt Legionarij alij pedites, quibus ex omnibus ſumma quatuor millium, præter ducentos Equites, colligebatur. Poſtridie autem manè Schombergius vniuerſi exercitus inſtructas acies è Pratenſi Caſtello duxit in conſpectum Martinianæ Arcis, cui ſe ſub octauam horam matutinam optatiſſimas oſtenderunt. Britanni certè, non plures noſtrorum eſſe rati, quàm, quos nuper, priore commeatu, Pratenſem in arcem ſubvectos animaduerterant, ad prœlium ſe comparabant: ſed deprehenſa longè ampliore copiarum multitudine, in aliam auerſi viam, Loïana in Caſtra, in incertos caſus antè comparata, ordinato agmine inſtituerunt ſe recipere. Toëraſius, vbi primùm compa-

rere cœperat Regius exercitus, indictis antè legitimis, toto Martiniano Præsidio, imperiis, in Schombergiana Castra erat profectus, vt cum exercitus Prætore consilia belli communicaret: vbi eum excepere, cùm priuatæ amicorum, tum publicæ omnium, officiosissimæ, ac verissimæ gratulationes. Is proficiscens ex Arce, paucis relictis in ea Munitionum custodibus, tam Voluntariis, quàm Præsidiariorum reliquis, edixerat, vti se armati Schombergianum ad exercitum subsequerentur, quò, simul atque Britannus Martiniano decessit pago, Campanæ Legionis Duces sexcenos milites adduxerant. In oculis Gallici exercitus, in Loïæ Insulæ munitiones, vt inde vela faceret, instructa Britannorum acies lento se recipiebat

piebat gradu, neque ab nostris, ponè insequentibus, vrgebatur, quòd Ducum ferè omnium constans erat sententia, vt abire sinerentur: non alia scilicet causa nostrum huc traiecisse exercitum, quàm vt hostem Cracina cogeret excedere, quod ipse sua sponte, nullo nostro incommodo, faceret: plus quàm satis nobis esse oportere, si vltrò id sibi faciendũ sumeret, quod vi factum ab eo cuperemus: decedente nostris finibus hosti aureum pontem semper esse sternendum. Vni Toërasio nulla omninò ratione probabatur, vt hostes sine prœlio impunè amandarentur: in eo Galliæ totius honorem verti, vt congressum licèt defugientes, certamine tamen appeterentur: Regiis armis atrocem iniuriam irrogari, si, quam supe-

Toërasius pugnam vnus suadet, cæteri dissuadēt.

 riori

rioribus prœliis palmæ prærogatiuam nobis quæsissemus, eam pręsentem, & certam vltrò amitteremus de manibus: idonea victoriæ oblata ansa, de hostium animis excutiendam cupiditatem vllius in Galliam deinceps transmittendi exercitus. Contrariis diu sententiis certatum cùm esset, eò processerant Britanni, vt ab Loïa Insula procul non abessent: & opportunè accidit, vt Toërasio, velut omnis Insularij tractus experienti, de pugna, quam suadebat, lubentibus cæteris Ducibus, omnia concederentur. Iussus est igitur omnis Equitatus, & Prætoriana Legio, impressionis mox initium facere: Subalpina verò, & Campana continenter subsequi, & antecedentium terga, ac latera subsidiariis affirmare operis.

Præto

Prætoriani, & Subalpini Legionarij viam capeſſierunt, quam breuem, & expeditam cēſerant, quæ tamen longior, & impeditior fuit, quàm vt maturè ſatis, pro ardore animi, manus conſererent, & prœlio feſſum Equitatum ſubleuarent. Nihilo tamen minùs, & Prætoriani, & Campani manipulares, eodem ferè tempore, magno impetu inuecti, eam trepidationem Britanno intulerunt, vt velut icta fulmine ipſius acies ſterneretur, vti eius deinceps iugulandæ vna nobis reliqua fieret opera. Quantum in acie Britannica fuit Pedeſtrium copiarum, id penitùs gladio interiit: omnis verò Equitatus in altas paludes noſtrorum in curſu adactus, paluſtri cœno hauſtus occidit: atque in ſumma, hoſtium ferè duo millia ce-

Britannorum ſtrages ad Cracinam.

cidere: qui velociores antecesſerant, in Loïam Inſulam elapſi ſunt; neque multò pòſt, vehementer damnatis ſuis de occupanda Cracina, & impugnanda Martiniana Arce conſiliis, ſumma tuti receptus cupiditate, in Britanniam nauigarunt. Ex vniuerſo Britannico, in Cracinam ſubuecto exercitu, & eius poſteà eodem aſportatis ſupplementis, ipſorum Britannorum haud dubia confeſſione conſtitit, mille, ac ſexcentorum armatorum reliquias dumtaxat à Bukinghamio in Angliam reportatas. In ſuo illo Britannicarum copiarum indice, tota Gallia notiſſimo, edidit, quem ipſi collibuit, militum numerum: certum tamen eſt, octona, & eo ampliùs, pugnatorum millia ſub ſignis ei fuiſſe, cùm exſcenſionem fecit

in

in Cracinam,quibus accederent nautarum quaterna millia, quorum etiam militari opera vteretur,quoties luberet. Hoc autem numerosi exercitus robur auctius longè fecerunt, per initia obsidionis Martiniani Præsidij, supplemento missæ ad Bukinghamium Legiones quatuor, Ibernorum duæ, Britannorum totidem, quibus omnibus collectis Legionibus fieret, vt pauci, ac tecto, & commeatu destituti, Sammartiniani Manipuli sedecim millium armatorum valido exercitu, tres solidos menses,& quod excurrit, continenter oppugnarentur. Qui gerendis in Cracina rebus ipsi perpetuò interfuerunt, & fortem bello nauarunt operam, suis [illegible] de obsidione commentariis tradunt, Britannorum octo millia

bello

bello in ea Insula occidisse, quorum tenues illæ, quas recensuimus, reliquiæ arguunt, magnum eorum numerum morbis exstinctum, & non exiguum fugientium, ad Loïam Insulam, aquis haustum occidisse. Porrò, qui postremus in Britannos pugnauit, qui eos pænè deleuit, qui exiguas eorum reliquias in Angliam abegit, & vno verbo, qui debellauit, Britannos propriè vicit; digna de ipsis trophæa suis armis peperit, meritum de victis triumphum sua virtute sibi quæsiuit Schombergius, Galliæ hostes, in Ludouicum Rebelles profligare pridem assuetus. Verumtamen, quod Schombergij, & cæterorum, de ipsius exercitu, Franciæ Procerum, bona venia dictum velim; Toërasius etiam in Cracina, Ludouici felicissimis

Debellauit in Cracina Schombergius, debellauit & Toërasius.

licissimis auspiciis, suo autem perpetuo ductu, incomparabili prudentia, fortitudine, constantia, propriè debellauit, hostes fractos, fusos, propè deletos Insula exegit, vel ipsis etiam, qui fugarentur, verbo, & scripto eadem profitentibus, ac prædicantibus, quæ scribimus. Enimverò Toërasius exscendentes in Cracinam Britannos, binis tormentorum millibus in totam oram, & campestria detonantes, exiguo Præsidiariorum exceptos, & grauiter affectos globo, suæ virtutis terrore in posterum compleuit. Idem frequentissimis ad Martinianam Arcem prœliis, conceptum antè terrorem suæ multitudinis, nostræ paucitatis, cogitatione lenientes, ingentibus attritos cladibus, maiore semper in dies bellicorum eius facino

facinorum ſtupore attonitos, ſuas in munitiones, fœda adactos fuga, perpetuò compulit. Idem Britannos, perpetuis multatos ſtragibus, & tuendarum, vllo Cracinæ loco, munitionum deſperatione conterritos, eò adduxit, vt multò antè, quàm Martiniano decederent pago, caſtra ſibi ad Inſulam Loïam foſſa, & vallo cingerent, quò perfugerent, ex illóque perfugio mox in Britanniam nauigarent. Idem, pridie quàm Schombergius inſtructum exercitum Martiniano Præſidio, in ſubiectis Arci agris, ſpectandum obtulit, Anglos, vna omnium copiarum acie, Martinianæ Arcis vniuerſa opera ingenti conatu oppugnantes, tertia tantùm Præſidij parte ad prœlium incolumi, cæteris duabus ex morbo decumbentibus,

bus, tanta vi propugnaculis deiecit, immensæ, totis suorum manipulis illatæ cædis tãto horrore perculit, vt cæsis, ad occultandam stragem, leui terra obrutis, mox ad colligenda vasa conclamaretur, & vno totius reliqui exercitus agmine, in Loïana destinati nuper receptus castra, nusquam intermisso itinere, decederetur. Idem igitur, toties ab se profligati exercitus imbecillas, & pauidas reliquias Schombergio, Regiarum copiarum meritissimo Duci, contrucidandas amandauit, & in manus tradidit: & idem insuper Regij exercitus vniuersos Proceres, de ineundo cum territis Britannis prœlio, alia omnia sentientes, sua vnius forti, & constanti sententia, ad conserendas manus, & ad neglectam ab ipsis

victo,

victoriam persequendam, propemodum inuitos pertraxit. Vicit itaque claram, opportunam, & necessariam victoriam, & in Gracina debellauit Schombergius: sed eamdem quoque victoriam vicit, & Cracinense, ab se vno affectum bellum, penitùs profligauit, qui tot antegressis, fortiter, ac feliciter obitis prœliis, & paratis victoriis, huic extremæ, ac clarissimæ victoriæ certam, & expeditam viam præmuniuit, &, in ea vincenda, strenuissimi pugnatoris munere defunctus est Toërasius. Iam verò Insularij belli describendi diuturna satis exsoluti opera, ad Rupeculanam obsidionem intermissam, & designata illi vrbi circumuallandæ machinamenta, stylum denuò conuertamus.

V Huiusce Commentarij tertia,

tia,ſub initium, ſectione, tredecim aſſignauimus circumcingendæ ad obſidium Rupeculæ Caſtella,& illa quidem deſignata manu,& exſtrui cœpta, quam deſcriptionem ea mente propoſuimus potiùs, vt vno aſpectu omnem rationem Caſtrorum lector animo conciperet, quàm vt ei perſuaſum vellemus, per ipſa obſidionis initia, vno tempore,primam & poſtremam manum hiſce Caſtellis omnibus fuiſſe adhibitã. Enimverò trium ex eis, aliquantò pòſt, cœpta ſunt iaci fundamenta, & Fontani quidem, proximo Nouembri ab inſtituta obſidione; Sanſpiritani,& Mariani verò inſequente Decembri; Marillacij Oſtiarij, alterius anni Februario, omni ſcilicet excurſione intercludendis Rupeculanis, quibus ab Zephyro

phyro supra Ludouiceam Arcem,laxioribus adhuc cancellis, in circumiectos agros,ad exigua prædarum compendia, exitus patebat. Et celeriter, & simul accuratè hisce tribus exstructis Castellis, Rupeculanorum eruptionibus ea erant obiecta claustra,quæ inquietos homines suis mœnibus, vel inuitos, continerent, & Ludouici animum ea ex parte tranquillum haberent, & vnam modò maritimi Sinus intra ipsa Ostia occludendi, reliquam facerent operam. Ludouico autem constabat,si valido aduersùs æstum maris, & hostilem impetum septo, hæ Oceani angustiæ obstruerentur, Britannis aditu, exitu Rupeculanis prohibitis, obsessos quantumuis refragantes ad deditionem aliquando compulsum iri.

Quare

Quare nihil ſibi omittendum putabat, quo minùs, hac vna patente adhuc regione, vtriſque hoſtium, opportunis obſtaculis admotis, omnis ad commeatum facultas præſcinderetur. Quam in rem, ſena Clauſtrorum ſolidiſſima genera deſtinata cùm eſſent, aquis inædificanda alia, alia defigenda, & alia mergendo aggerenda, adſtruendáque, ad ingentis molis, & impenſæ opus ſumma cura, & diligentia confeſtim decurſum eſt. Primum Operum omnium, & quo cæteræ aquariarum Munitionum niterentur quàm maximè, præualida fuit quadrario lapide *Moles*, vtroque ex littore Rupeculani Sinus, trecētos quinquepedales paſſus in Æſtuarij procurrens intima, cuius bina obuerſa mutuò capita ducenorum paſſuum in medio

Clauſtra Rupeculani Sinus.

Moles ſaxea.

dio relinquerent interuallum, traiiciendis ad necessaria bellicæ rei ministeria nauigiis. Et tametsi benè amplis, ad expedienda tamen tormenta minùs æquo laxis Molium vtrisque capitibus, inædificata eis sunt lignaria podia singula, & iis impositę modi maioris cannæ igniariæ nauales, quibus hostilia nauigia omni aditu Ostiorum facilè arcerentur. Præmuniendo insuper patentis in medio Molis ostio, prægrandibus è tignis arrectariis, fistuca defixis, validissimum obiectum est Vallum, commissis infernè, immissis supernè, transuersariis reuinctum trabibus, & militaris ericij specie, ferreis verutis echinatum, quibus hostiles impulsæ induerentur naues, & ipso expediendi sui conatu lacerarentur: quod *Tignarium Vallum* ab

ab auctore appellarunt, *Marillacea Candelabra.* Huic Vallo ſuppar aliud, & præ iſto excitatum, haud abſimili ſtructuræ genere, niſi quòd pro tranſuerſis longuriis, ſeriem cipporum deuinciente ingenti catena ferrea, colligatum eſt, vnde, atque ab auctore, Pralinij Beſanſonij *Catenaria Machina*, vocatum eſt. Gemino huic Trabali Vallo interiectum eſt Materiarium Caſtellum, defixis humi ſublicis, & merſis nauibus impoſitum, idonéoque tormentorum inſtructu armatum. Atque hæc triplex lignaria machina, ab Fauonio, & Oceano, Lapidariæ Moli, & eius patentibus media regione oſtiis, præſtructa eſt, propulſandæ Britannorum, nauibus inuehentium, irruptioni. Trans eamdem Molem, ab Subſolano, versùs

Marillacea Candelabra.

Catenaria machina Pralinia.

Caſtellum ligneum.

Rupecu

Rupeculani Sinus intima, aliæ item deſignatæ ſunt,& ſuo tempore perfectæ Munitiones, eidem Molis obſtruendo Oſtio,& aliæ quidem merſarum immani aggere nauium, aliæ ad ancoras, & progreſſum inhibentes catenas,fluitantium. Ponè, inquam, Regium illud, è quadrario ſaxo Choma, tota ferè Maritimi Sinus latitudine, murali ſtructura per omnem aluum ſuffertis, & velut ſaburratis vndeſexaginta grandioribus nauibus, & continenti, denſáque ſerie demerſis, excitatus eſt præcelſus, ac peramplus *Agger Naualis*, ſuperexſtructo Caſtello munitus, cuius ſoliditate ad eum illiſæ diſtinerentur naues, ſi quæ Tignarium Vallum vtrumque, & iis intermedium Caſtellum, aut perrupiſſent, aut exundante maris

Naualis Agger.

maris æſtu, eſſent ſupergreſſæ. Poſt *Naualem* hunc *Aggerem*, Apeliotem versùs, è quadragenis, maxima amplitudine, ac eximia firmitate, nauigiis, laterum mutuo oppoſitu inter ſe commiſſis, & crebro catenarum, ac rudentum nexu colligatis, *Fluitans Vallum*, exædificatum eſt, frequentibus affirmatum ancoris, multo inſtructu tormentorum ex aduerſis proris eminente. Intra verò, & extra ſexcuplex iſtud, & egregiè validum munitionum genus, quà longè, latéque patet Rupeculanus Sinus, diuiſis ipſius ex claſſiaria diſciplina regionibus, ordinatiſſimo poſitu diſtributæ ſunt idoneorum ſubſidiorum *Nauales Stationes*, & numero frequentiſſimæ, & milite, ac tormentis inſtructiſſimæ. Singulis Claſſico-

Fluitans Vallum.

Nauales Stationes.

rum Subſidiorum nauibus præfecti erant naualibus prœliis clari Duces, vel ex Melitenſi Ordine, vel ex cætera Nobilitate Gallica, quo etiam hominum genere conſtabant fermè vniuerſa hæc Claſſica Præſidia. *Sublicia* porrò, *Murales*, & aqua merſæ *Nauales* munitiones, ab inſita ſoliditate, maximi quidem momenti erant futuræ ad prohibendos aditu exitúque vniuerſos hoſtes: nexarum tamen nauium illud *Fluctuans Vallum*, ab peculiari quodam, & opportuno vſu, fixis illis, & humi hærentibus clauſtris poſthabendum minimè videbatur. Enimverò copioſioribus æſtibus inundante Oceano, quod frequenter accidit, & ſubliciæ, & chomaticæ, & naualis aggeris munitiones, Sinus maritimi ſummas aquas haud

haud multùm supergressæ, iis Oceani accessionibus necessariò erant operiendæ, quibus hostiles omnis ferè generis naues facilè innatarent, ac Vallis, aqua mersis, nihil eas morantibus, sed quas opportunè exciperet *Fluitans Vallum* nauale, ac progressu inhiberet. Ac de Claustris quidem, Rupeculano Æstuario, ad prohibendum hostilem omnem commeatum obiectis, quæ commoda obsidentibus, quæ obsessis allatura essent incommoda, res planè habet, sicuti diximus. Stàtiua tamen centum quadraginta nauium, Classis Regiæ, iis naualibus, iis militaribus copiis, iis citra & vltra Molem tributa regionibus, eo pugnatorum genere, illa pugnam exoptantium alacritate, si Britannus sui copiam faceret, haud dubium, quin

ex certo, & fausto euentu constaret, eam fuisse omnium, quæ illis angustiis excitatæ essent, munitionum & validissimam,& nobilissimam. Quod enim sollemne ac perpetuum est Britannorum maritimum, ac terrestre stratagema, vt, infinita tormentorum sufferti multitudine, non nisi hoc missilium iactu, ac procul, dimicent; ad conferendas collato pede manus, alia ratione nulla, quàm summa vi vmquam adducantur: si per nostra Claustra irruptionem molirentur, Sinus Ostia semel ingressi, iis locorum angustiis nusquam patente ad fugam exitu, Claßiariis autem pugnatoribus nostris, ab fronte, ab tergo, dextra, læuáque strenuè arma intentantibus, inuiti licèt, cogerentur tamen ad prœlij genus, quod auersarentur
omnium

omnium maximè. Ab illo igitur desultorio, & volatico ad statarium istud Classicæ dimicationis munus pelliciendos necessariò Britannos, prouidentissimè meditatus erat Ludouicus, cùm, velut simulatione quadam timiditatis, & protegendi Ostiarij huiusce Valli specie, suas illas naues ex aperto Oceano, & Morbihano portu, in has contraheret Sinus angustias. Quas eò coactas, cùm ipse armis succinctus, & expedita Celoce vectus, bellatorum insignium viritim per sese habito delectu, lectissimis pugnatoribus compleret, Ducum & militum quemque nominatim euocatum in suam induceret nauim, instructarum milite nauium multiplices acies partiretur, suam cuilibet aciei stationem assignaret, omnium

ſtationum terga, & alas validis firmaret ſubſidiis, Claſsicæ pugnæ rationem Ducum ſingulis ediceret, eam perſcienter inſtructæ claſsi ſpeciem affingeret, quæ ad aſpectum eſſet iucundiſſima, ad congreſſum formidoloſiſsima, ſuis ad victoriam, ad trophæa, ad triumphos certiſsimam, & expeditiſsimam viam comparabat. Sed, quæ hîc, per ipſa ſcilicet tempora ineuntis dumtaxat obſidionis, & de aquariis Munitionibus, & de Statiuis claſſiariis, ſcribimus, ſubſecuturæ narrationis illuſtrandæ gratia, eorum pleraque de deſignatis, & inchoatis, non de abſolutis Operibus, accipi volumus.
Iam verò, quod pertinet ad Obſeſſos, ij terreſtri eruptione penitùs prohibiti, poſt excitata tria illa, quæ deerant ad Boream,

ream, Caſtella, & ductos viciſſim, ex alio ad aliud, Militaris commeatus altè depreſſos limites; conſilia, & operam traduxerunt ad prædatorias ſcaphas in Sinum, & ab hoc in Oceanum emittendas, ſed exiguo ſemper compendio, & irrito frequenter labore. Accidit tamen interdum, vti noſtris parum in cuſtodias intentis, & ventis hoſtium inſtituto inſuper valdè obſecundantibus, incolumes in Oceanum elaberentur, nondum perfectis, nec Regia Mole, nec Machinis, ad occludenda Molis oſtia, comparatis: ſicuti contigit, anni viceſimi octaui menſe Ianuario, cùm ingenti turba mulierum, puerorum, ſenum, cæterorúmque bello inutilium capitum, ſcaphis impoſita, præter ora, & oculos

noſtrarum Stationum, vehementi eos vrgente vento, in Oceanum euaſit, noſtris nauibus inani opera eam perſequentibus. Eodem exeunte menſe, cùm muniendo Regiæ Molis oſtiò Naualis Agger propter illud oſtium adſtrueretur, & murata duodecim nauigia in eum Aggerem demergerentur, nouem minoribus nauibus, partim lembis, partim ſcaphis, vt opus noſtrum interturbarent, Obſeſſi proceſſerunt, miſſilibus ignibus copiosè inſtructi, & malleolis, omníque arida materia, ſæuientibus intereà in noſtros ex vrbe frequentibus tormentis, ſed neutro eorum conatu quidquam effectum eſt, quò minùs in cœpto opere continenter perſtaremus. Eiuſdem diei concubia nocte, poſt æſtus deceſſum magno

magnoperè depreſſis Æſtuarij aquis, eodem pedibus rediere, incẽdiaria egregiè inſtructi materia, vado penetraturi ad nondum merſa nauigia, eáque concrematuri : ſed ab nauigiorum cuſtodibus magna ex parte cæſi, aut merſi, parciùs deinde ad eruptiones animum adiecere. Iteratis intereà legationibus Britanniæ Regem ad ſummittenda noua auxilia vrgebant vehementiùs, poſt diſſipatam ab noſtris immanem illam Claſſem Bukinghamianam, & valdè promota Clauſtra, quibus Oſtia Sinus obſtruebamus : ſed cùm onerarentur pollicitis, nouæ tamen Claſſis conſilia parum expediebantur. Cùm in eo maximè allaborarent, ante diem octauum Calendas Februarias RegiaClaſſis opportunè appulſa eſt

ad Corellianum Cornu,ab Guiſio Duce,ipſius Prætore,quæ adiuncta decem nauibus, Decembri menſe eò ſubductis, quadraginta duarum grãdium nauium Gallicarum facta erat, per ea tempora:fuit autem deinde centum & quadraginta bellicorum nauigiorum, eóque amplius. Sexto autem Calendas eiuſdem menſis, Federicus Toletanus, auxiliariæ Claſſis Hiſpanienſis Prætor,Morbihanum in portum Aremoricorum Decembri extremo inuectæ, Regem adit in Caſtra, eíque nunciat,Claſſem ab ſe Morbihano è portu deductam ad oram Cracinæ Inſulæ, quò ſcilicet ſiſtenda fuerat, ſi in tempore aduenisset, ad Bukinghamianam claſſem depellendam. Is rogatus,vt eam claſſem, quæ immunis adhuc eſſet à prœlio,

Iberica Claſſis auxiliaria.

lio, in ſalo expeditam haberet, vt,coniunctis cum noſtra Claſſe armis, in Britannicam alteram inueheretur,propediem adfuturam : reſpondit, certum ſibi eſſe vela facere,dum ſuæ velificationi ventus obſecundaret, nec commiſſurum,vt abeundi copia ſibi fieret ab Rege, cùm ventorum nulla eſſet opportunitas. Obſeruabatur offenſo animo ipſum diſcedere, quòd palam iactaretur,quaſi de induſtria trahentis moras, eius auxilia nobis adfuiſſe, ſecundo poſteà menſe, quàm debellatum eſſet ad Cracinam Inſulam;nũc verò ipſum otioſa, & intacta Claſſe abſcedere, cùm hoſtis Britannus infeſtis iterum nauibus proximè adfuturus credatur. Quo autem die, Toletanus, & in Caſtris apud Regem fuit, & inſcendens

Spinola in Castris Ludouici.

nauem soluit in Hispaniam, eodem Spinola, extra ordinem ad Ludouicum Regem Legatus, ipsius filio, & Legagnio genero viæ comitibus, Ludouicum salutaturus venit in Castra, cui ad duo millia obuiam missus, cum delecta Nobilitatis manu, Schōbergius, honorificentissimè accepto procul Castris, cætero itinere deductor, & ad destinatum hospitium exscendenti comes adfuit. Eius audita legatione, Ludouicus ei se perquàm comiter adhibuit, superque reliquum sermonem indicauit, se præter Medicorum sententiam, ex grauiore morbo vix benè recreatum, Lutetia profectum esse, ac eo dumtaxat consilio venisse in Castra, vti Britannos, hostili Classe in Cracinam inuectos, armis exigeret, quos intereà dum

frange

frangeret,& fugaret,comperiſſe, ab Rupeculanis plurimam eſſe collatam operam, acciendis in Galliam Britannis. Eam ſibi viſam eſſe noxam, quam ſeuera animaduerſione multaret, proindéque decretum ſibi perpetuum illud Perduellium receptaculum eodem genere obſidionis capere, quo ipſe Spinola Bredam expugnaſſet, quem imitari vellet, clariſſimum architectum, & auctorem capiendarum vrbium, nullo, aut exiguo circumuallantis exercitus periculo. Spinola bellicæ huius adminiſtrationis Regia facinora vniuerſa ſingulari quodam commendationis genere proſecutus eſt, atque in primis *Cracinenſem* expeditionem, & adiecit, horum facinorum veriſſimam, atque potentiſſimam cauſam in ipſius Regis

Rupecula obſidendæ cauſa.

Spinolæ sententia de armis Ludouici.

Regis assidua præsentia esse positam, cuius oculus, singulorum virtutem obseruans accuratissimè, Gallicam Nobilitatem quacumque vi aduersa insuperabilem præstaret. In omni certè militaris Principatus munere, animo suo vnum hæsisse dolorem, quòd nullius gestorum suorum testem vmquam Regem suum habuerit, ad hunc diem: nullum sibi genus mortis, depugnanti pro ipsius causa, & gloria, videri acerbum posse, si ad cætera sua decora ille cumulus gloriæ accedat, vt, eo vel semel inspectante, bellici muneris quidpiam in castris, aut in acie obeat. Inuitatus autem ab Rege, terrestria, & aquaria Munitionum Opera, per eos dies haud admodum promota, curiosè inspexit vniuersa, &, ab designatione perquàm idonea,

idonea, laudauit, ſed in primis Molem Saxeam, & Naualem Aggerem, inter miranda machinarum ſuſpexit: quamquam de omnibus maritimis Munitionibus oſtendit, ſibi ſuſpectos eſſe inundantes æſtus Oceani. Ad extremum denique adiecit, ſi Oſtia Sinus obſtruerentur, & ex fide numerarentur ſtipendia militi, actum eſſe de Rupecula. Ab Rege, & Proceribus Galliæ multo affectus honore Spinola, quoad in Regiis Caſtris verſatus eſt, lætiſſimus inde profectus, Februariis Calendis, nauem conſcendit traiecturus in Hiſpaniam. Rex ipſe Caſtris etiam deceſſit, ſexto Idus Februarias, Lutetiam cogitans, vnà cum ſuo Conſilio, cùm priùs creaſſet abfuturo ſibi, omnium rerum in Caſtris, & Exercitu

Legatum Cardinalem Richeliéum, ex quo tesseram militarem sumerent, Inculismæus, Schombergius, Bassompetrius, & Marillacius, Castris, & Munitionibus regionatim quisque præfecti. Ad decimum quintum Calendas Martias, tribus ante ortam lucem horis, Obsessi binis inuecti scaphis incautos oppressere milites, & nautas Burdigalensis nauis ex eo genere, quas *Transuersarias* vocant, iugulatósque in mare deiecere, vacua deserta naue, quam nostri sub lucem recepere. Iidem pridie Calendas Martias, quinta hora noctis, duas quadriremes, è suo portu, atque ipso Sinu, emisere in Oceanum, vicenis lembis nostrorum ad vacua Regiæ Molis excubantibus, silentio elusis, ac velut momento penetratis,

Obsessi erumpũt in Oceanum.

netratis, quarum quadriremium armatarum iter ſpectare in Britanniam credebatur. Per eos dies minùs feliciter, quàm illis nauigiis, ceſſit eruptio tricenis equitibus Obſeſſorum, per immunita adhuc foſſarum interualla elapſis, quos animaduerſos noſtri, & interceptos ad vnum confecere. Martiis Nonis, & ſexto Idus Martias ad Tadonium Caſtellum Rupeculanorũ acriter depugnatum eſt, cæſis vtraque ex acie non paucis, nullo tamen deſiderato de noſtris, cuius aliquod eſſet in Ordinibus imperium. Ante vndecimum Nonas Aprileis, Rupeculanorum annonariæ ſcaphæ tres, triginta doliorum vna, tredecim altera, decem tertia, ex Pletunnio Britannorum portu egreſſæ, ab tribus noſtrarum nauium,

Erumpũt in agros.

Singularis fortuna hostilium scapharum.

ea regione excubantium, obseruatæ sunt per tenebras noctis, cùm intenderent cursum Rupeculam versùs. Vna de nostris nauibus, quæ totius Classis erat Prætoria, maximam de Rupeculanis illis scaphis, mox de via exceptam, perpetuis tormentorum glandibus præ se egit ad ipsa Sinus Ostia, & naualia eo loco Præsidia, quibus commisit ad arbitrium diuerberandam. Corelliani Cornus nostra omnia tormenta vno impetu suas glandes in eam effudere, sed inani opera: ea verò, quasi aduersùs Prætoriam suas cannas libratura, sumsit spatium, & mox explicatis omnibus velis, æstu, ac ventis eam adiuuantibus, audacter iniit Sinus Ostia, & tametsi tota ex Mole, ac vtraque ora, nostris in eam sæuientibus tormentis,

& inti

&c intimum Sinum tenuit,& Ruperculam illæſa penetrauit. Vniuerſo Æſtuario tantum tumultus ea ſcapha excitauit, vt ad ſpectaculũ totus exercitus ſtratis exſurgeret, ipsíque Duces conclamari ad arma iuberent, rati adeſſe Claſſem alteram Britannicam. Tumultuari deſitum erat ea regione tota, poſt deprehenſam trepidationis materiam, & ab vniuerſis in ſuas ſtationes redibatur,cùm per tenebras dubias animaduerſæ ſunt duæ illæ reliquæ ſcaphæ, primam tardiùs ſubſecutæ, aditum ſibi, per media noſtra nauigia,in Æſtuarium molientes,quæ naualibus Catapultariis excubantibus anſam in re ſuſpecta præbuere, ad arma iterum conclamandi. Ex omnibus itaque Oſtiariis Præſidiis, confeſtim exauditus eſt, atque in

Ingens trepidatio ex leui occaſione.

in multum temporis continuatus cannarum fragor, ex eóque totis Castris ad arma reditum est, cùm iam inter ipsas naues Regias versabantur duæ illæ Rupeculanorum scaphæ annonariæ, quæ multo conatu ad exitum eluctarentur, quarum altera, & expeditior mole, & velis instructior, cùm se impedimentis, & periculo exemisset, vehementiore vento delata, impegit in arenaria scamna, & iis immersa hæsit, ad Catapultæ iactum ab Rupecula. Tertiam earum cepere nostri, cæsis, vel captis eius vectoribus, excepto Nauarcho, & aliis octo de primoribus ad Marillacium adductis, ex quibus auditum est, vicenas grandes onerarias, commeatu onustàs, & aliquot maiora, & minora nauigia bellica paucis diebus ventura

Hostiliũ scapharum vna capitur.

ventura ſubſidio Rupeculanis è Britannia, ea ſcilicet lege, quæ mutuò inter ipſos conuenerat, vt iis accipiendis auxiliis Rupeculani ſeſe Britannis in perpetuum dederent. Hiſce auxiliorum nunciis Perduelles mirum quantum exhilararant annonariæ illæ duæ ſcaphæ, per noſtra Oſtiaria Præſidia Rupeculam elapſæ, quorum intempeſtiuæ, ac illiberali lætitiæ interpellandæ, viſi ſunt liberalioribus cannarum miſsilibus epulis conſalutandi. Ea igitur nocte, quæ ſextum Idus Apriles conſequebatur, varia Caſtrorum regione, intimorum vrbis ædificiorum intentata vehementiùs ruina eſt, librandis in tecta flammatis glandibus, quibus, & aliarum ædium, & Xenodochij excitaretur incendium, & toti vrbi
faceſſe

faceſſeretur negotium, quod ab fauſto nuncio feriatos magnoperè occuparet. Britannici exercitus naualis, Rupeculam cogitantis, auditio, Lutetiæ pridem occuparat Regis animum, eapropter tertio Nonas Aprileis erat profectus Lutetia, priùs ſcilicet, quàm in Caſtris ea ſcapha caperetur, nonnulliſque negotiis diſtentus in itinere, octauo tandem Calendas Maias, lætitiis incedente toto exercitu, in Caſtra peruenit, feſto tormentorum plauſu, omnibus Præſidiorum regionibus perſonãte. Crediderant Rupeculani Ludouicum tædio moleſtiarum Caſtrẽſium abfuturum ab exercitu, per eámque abſentiam, omnia minùs accuratè, minùs ex fide adminiſtratum iri, quæ ad obſidionem ſpectarent, ex eáque negli-

Ludouici reditus in caſtra.

negligentia facilè naſci quidpiam incommodi poſſe, vnde obſidium ſolueretur. Quam opinationem funditùs exſtinxit Ludouici feſtinus in Caſtra reditus, qui Obſeſſos non mediocriter perculit, eo reditu planè perſuaſos, eum obſidione neutiquam diſceſſurum, quoad ſui arbitrij captam Rupeculam faceret. Suum quoque aduentum in Caſtra ſatis gnarus Ludouicus Rupeculanis formidabilem, eorum animos priùs periclitandos cenſuit, quàm terreſtribus Caſtellis, & maritimis Clauſtris, vltimam iuberet adhiberi manum, & operam: ſi qua ſui officij cogitatione, & Regij faſtigij reuerentia, dignos ſe præberent eius clementia, & miſericordia. Sub extremum igitur Aprilem Ludouicus, Rupeculam miſſo Franci

Ad deditionem vrgetur Rupecula.

Francicorum Fetialium Rege, vnà cum geminis Æneatoribus, iussit per eum suis verbis ex formula Obsessis denunciari, vti se, sua, vrbem ex tempore dederent, aut bello capti iusta Perduellium supplicia exspectarēt. Profectus regione Fontani Castelli Fetialis, ad portas vrbis, posteà quàm per suos Æneatores duos, Maiorem Ciuitatis, & Decuriones, cæterósque Magistratus, maiestatis reos, ter cecinerat, & Regia iussa exposuerat, cum petulantissimo responso est reiectus, renunciantibus omnibus, nihil se pacis egere, nullam pacis conditionem admittere, suam libertatem, & salutem ad extrema quæque propugnaturos esse. Hac perspecta Obsessorum contumacia, & proteruia, certísque testimoniis comperto Britan

Britannici exercitus Naualis delectu, Ludouicus omnia sibi studiosè comparāda decernit, quibus arctiùs premerentur Rupeculani, & Britanni, acriter excepti, denuò profligarentur. Vt tantò maiore fiducia secundæ victoriæ Ludouicus adornaret exercitum & machinas, duo validissima cohortabantur argumenta, hinc numerosus, & apprimè omnibus instructus exercitus; inde, omnium & Ducum, & militum ardentissimi ad prœlium animi. Cùm de militarium copiarum incensis erga ipsum studiis Regi liquidò constaret, de ipsarum certo numero sibi explorandum statuit, vt quantum armatorum Britannis esset obiecturus, seu terrestri, seu maritimo exercitu, perspectum haberet: quamobrem accuratis-

ſimè luſtrando exercitui diem, & locum edicit. Ea recenſione compertum eſt Ludouico eſſe ſub ſignis armatorum Peditum ampliùs vicena terna millia, inſtructorum Equitum plus multò bina millia; quas pugnatorum copias, cùm in aciem ſtructas, & ad prœlium expeditas diligentiùs inſpiceret Ludouicus, non dubitabat, quin, vel iis, vel nullis aliis vmquam Legionibus cum Britanno debellaret. Iam verò, quoniam Claſſe in nos inuecturus hoſtis, Claſſe propellendus primùm eſſet, recenſenda, & armanda in pugnam nauigia tantò antè videbantur, vt hoſti occurreremus potiùs, ſi res exigeret, quàm vt ferociter inuehentem pro Sinus Oſtiis exſpectaremus. Hanc prouinciam exſequenti Ludouico conſtabat, grandia nauigia

Recenſio Ludouicei exercitus.

Ludouicea Claſſis expedita.

nauigia militaria vicena ſena, pugnatoribuſ, & machinis inſtructiſſima, pro Sinus Oſtiis, in ſalo ad ancoras ſibi futura, quæ Britannicæ Claſſis primam impreſſionem exciperent: Lemborum verò, Liburnicarum, Myoparonum, & eius generis expeditarum nauium frequentia, & firma Subſidia, grandibus nauigiis, ab tergo, & ad vtrumque latus acceſſura, quæ incendiarios hoſtium Parones, primoribus illis, & poſterioribus aliis nauigiis arcerent, dum prœliarentur. Non minorem aciem leuiorum nauium gemina ſerie obſeſſuram, intra Oſtia, duas Sinus oras, & ante ipſa Regiæ Mólis Clauſtra, media Oſtiorum regione, octogenas ſeu triremes, ſeu ſcaphas, ſeu quadriremes ſecundam aciem nouo ſubſidio

firmaturas. Hanc tantã Classem fortissimis, & bellicosissimis pugnatoribus instructam, vix credi posse à Britannis, parum gnauis conserta manu bellatoribus, esse perrumpendam. Quam, si quo inauspicato casu, communis belli Mars percelleret, perstatura tamen ponè has nauigiorum turbatas acies, validissima illa, quæ suprà descripsimus, Aquariorum Claustrorũ munimẽta. In quemcumque igitur belli euentum sic adornato exercitu, & comparatis armatorum animis, quarto Nonas Maias, cùm se ostendissent confertæ naues in Oceano, non est dubitatum, quin properè adesset Classis Britannica, gestiente vniuerso milite ad spem proximi certaminis: sed breui deprehẽsum est, maritimæ negotiationis illas esse naues Belgicas.

Octauo tamen, post eum diem, die, hoc est, ad quintum Idus Maias, sub quintam horam pomeridianam, naualis exercitus Britannicus, vno milliari ab Corelliano Cornu, nobis se spectandum obtulit. In ea Classe varij generis naues censebantur ad quadraginta quinque, plùs, minùs: ac bellicæ quidem omninò vndecim, sed modi maioris, Cercuri scilicet quatuor, quos *Rambergas*, patria voce appellant: Gauli septem, quos Carbonarios, vernaculè nuncupant: annonariæ centenûm doliorum Corbitæ viginti, & his adiuncti Drómones Incendiarij aliquot: ac viginti denique, tricenûm doliorum Cymbæ penuariæ, cui Classi Prætoria potestate præerat Comes Dambiquius. Aberat ab Castris, sed

Britannica Classis aduentus.

modico interuallo, Ludouicus, cùm Britannicus exercitus naualis se nostris spectandum dedit,& quadragenarum horarum publicas preces, vniuersa Pictonum, & Alnisij plaga indixerat, quæ tota mox Gallia studiosè sunt obitæ; cum autem Cardinalis Richeliéus eodem die per nuncium admonuit, quo audito, Ludouicus equum inscendit, & noctuabundus in Castra aduolauit. Eò cùm aduenisset, confestim misit exploratores, qui prospecularentur, ac de hostili Classe, citra *Baïa Caput* in salo considente, renunciarent. *Baïa*, gentili Pictonum, Santonum, aliorúmque Gallico Oceano finitimorum vocabulo, idem valet, atque maritimum Æstuarium, siue Sinus: *Baïa* autem *Caput*, haud procul Rupecula, terræ lingua

lingua est, alio milliari procurrens in Oceanum, obiecta Meridiano lateri Britanniæ Aremoricæ. Ad eam *Baïæ* oram Statiua Præsidia Bassompetrius obtinebat, & Ludouici peropportuna prouisione nuper imposita erecto suggesto nouem tormenta, quibus contingere accommodatius Bassompetrio nihil poterat, ad diuerberandam è regione oppositam Classem Britannicam, in quos adeò infesta omnis euasit emissio, vt paucissimæ glandes citra hostium, & nauium stragem ceciderint, cæso inter cæteros clarissimo Legionis vnius Tribuno. Illam Colubrariam stationem cùm Ludouicus destinaret, tamquam inutilis impensæ, ac operæ, atque vti minùs idoneo loco instituendæ, Duces omnes improbabant, qui- *Britannica ex ora diuerberati.*

bus licèt refragantibus collocari iussit eam Ludouicus, quam faustus euentus peridoneam fuisse approbauit, ex quo Ducibus, vt ex aliis non paucis euentis, constitit, Ludouici, quàm cæterorum, etiam intelligentissimorum hominum, longiùs multò patere iudicium, atque prouidentiam. Rex porrò, accitis postridie Castrensibus, & Naualibus Ducibus vniuersis, quam dimicationis rationem eo Nauali prœlio seruari vellet, eam designauit, & omnibus exsequendam, ad hunc modum ex scripto decreuit. Ne quis nostrorum, progrediente licèt hostili Classe, ancoras solueret, & loco moueretur, dum ea Classis proximè nostram accessisset, in eam verò propinquam priùs incurreretur, quàm ea se Sinus

Lex pugnæ Classica.

Ostiis,

Oſtiis, & machinis Oſtiariis admoueret. Ne qua Regiarum nauium, ſociæ naui in hoſtilem inuectæ, & cum ea congreſſæ, ſubſidij ferendi cauſa ſe adiungeret, ne prœlium interturbaret potiùs, quàm promoueret. Si tamen Britannica nauis, quam Regia inſequeretur, in aliam Regiam minùs paratam, & ad prœlium non expeditam, incurreret, tùm, quæ eatenùs eſſet inſecuta, ſubſiſteret, ancoras iaceret, vt communibus armis duæ ſimul Regiæ hoſtilem impugnarent. Si qua item Regiarum Britannicos miſsiles concepiſſet ignes, Subſidiis in eiuſmodi caſus priuatim deſtinati lembi, eò accurrerent, & laborantem nauem flamma liberarent. Quæcumque Regia nauis, hoſtium Incendiariis Dromónibus appe-

tita, ſuis cannis machinarios cuneos eximeret, ne ſublatiore glandium iactu ad ſuppetias progreſſos Regios lembos læderet. Vt hoſtilibus ignibus contacta nauigia puluerarios cados ſuis fundis exutos maturè haberent, & expeditas hydrias, quibus perfuſa flammas reſpuerent. Ne omninò plura nauigia ſublatis ancoris ſe pugnæ offerrent, quàm eſſent illæ hoſtiles naues, quæ gemina Oſtiorum Sinus Cornua inire contenderent, ne quid turbarum confuſo ex concurſu plurium oriretur. Vti ſingula nauigia ſingulas quotidie cymbas, ante ipſam Claſſem, in Statiuas Excubias amandarent. Vti Regiis lembis propria, præcipua, perpetuáque cura eſſet, anteoccupare hoſtium Incendiarios Dromones, & ſuis eos, ſi quas

quas agerent, cymbis exuere: qui, ſi recto curſu, quaſi ad pugnam, contenderent, iniecto lupo, eos diſtinerent, & auerſos ab noſtrarum nauium curſu, deprimerent, ac mergerent. Quæ naues, poſtremo aciei ordine, Nautico Vallo, ante Sinus Oſtia, eſſent proximæ, illæ omnium primæ, ſublatis ancoris, vela erigerent, & in ſubeuntem Oſtia Claſſem hoſtium incurrerent, quoniam, quæ aciei frontem in patente Oceano obtinerent, eodem illæ tempore prætergreſſum Britannum ab tergo inuoluerent, cuius, inter vtramque aciem impediti, expeditior eſſet internecio. Quo die hoſtis ſuis ex Statiuis vela faceret, atque ad pugnam progrederetur, ſingula nauigia ſuas ſcaphas armatas, & expeditas præ ſe haberent, quas,

pro re nata, ad obruendas hostium emiſsitias flammas, ſummitterent. Hæc edicta palàm administrandæ pugnæ formula, Valancæo Equiti, Regiæ Claſsis Prætori tradita eſt, qui eam Prætorio iure nauali obſignaret, & obſeruandam curaret, quam, vndeviceſimo Calendas Iunias, exſcriptam, exſignatámque ſingulis Claſsiariis Ducibus, & Miniſtris diſtribuit, & ſeruandam edixit. Ad illud *Baïæ* ſalum Britannus ſolidos octo dies hæſit in ancoris, inſpectante Rupecula, & Britannicam impreſsionem in Gallicas naues fruſtrà expectente: quibus intereà diebus, plenilunio ſollemnes maritimi æſtus acceſsiones elapſæ ſunt, validiſsimis ventis eas continenter inſequentibus, quorum perpetuo, & intento in Rupecu-

lani

lani Æſtuarij vacua flatu, nihil accommodatius Britannorum instituto poterat exoptari. Per quos dies, ea nocte, quæ decimum nonum Calendas Iunias est inſecuta, Britanni, tenebrarum ope, leuem phaſelum, binis modò remigibus instructum, clàm induxere in Regiam Claſſem, quo phaſelo vehebatur Brægnautius Rupeculanus, aliíque duo, aut tres vectores, qui ſimularent, quaſi eiuſdem corporis homines, negotij quidpiam ſibi cum certa Triremi intercedere, qua indicata, impunè verſati ſunt inter noſtros, móxque Rupeculam euaſere, allaturi nuncios Britannici exercitus. Perduelles, Britannicæ Claſſis, in propinquo ſalo conſidentis, admoniti, derepentè terna vexilla, totidem colorum, purpurei,

Ex hoſtili Claſſe phaſelus Rupeculam euadit.

rci, veneti, candidi defixere in summis propugnaculis, &c, in ipso sublimium turrium culmine, excitatis ignibus, fausti accepti nuncij condicta signa Britannis edidere. Suam fidem Britannis obstrinxerant Rupeculani, fore, vt patefaciendæ viæ auxiliariis fœderatorum copiis, ipsi Classe instructa inuecti Regia Æstuario inædificata Claustra perrumperent, & Ostia ineuntes Britannos exciperent, quam datam fidem vti liberauerint, subsecuti prœlij euentus docebit. Decimo septimo Calendas Iunias, secunda de meridie hora, sublatis ancoris, se commouit hostis, vt tentaturus viam in Sinus Ostia putaretur, sed paullò pòst reflantis venti aduersa vis ad alia ineunda consilia eum visa est adduxisse, no-

stris

ſtris eam pugnæ dilationē ægerrimè ferentibus, quorum vt maxima ſemper fuiſſet ad prœlium alacritas, multò maior per hos tamen dies accreuerat ingenti acceſſione Voluntariorum, quos hoſtilis Claſſis aduentus tota ex Gallia, celebris prœlij ſtudio, exciuerat. Verùm perendina luce, cùm plenioris etiamnum Oceani aquæ Britanno fauerent ad periclitandum aditum in propinqua Oſtia, è ſtatione profectus, Claſſem ad tormenti iactum versùs Regias naues promouit, nauigiorúmque latus cùm obuertiſſet, denſa glandium procella nos cœpit appetere, quod & fecere Rupeculani eodem tempore, quibus regionibus naues Regiæ ipſorum cannis ad emiſsiones patebant. Noſtri verò, & primore tota Claſsis acie,

Prœlij aleam declinat Britannus.

acie, & omni maritima ora, libratis frequentiſsimis tormentis, nihil intermiſſo iactu, hoſtiles Gaulos, & qui ſe illis adiunxerant lembos, multa hominum nauiúmque labe, vſque eò diuerberarunt, dum aduerſaria Claſſis retrocederet: in Britannicos autem Cercuros Regiarum cannàrum non pertigerunt emiſſiones, ad teli iactum ſcilicet non promotos, vt vaſtiores, & grauiores, quàm quibus eo ſalo fundi, & aquæ idonea copia fieret. Celebratiore apparatu Britannus comparauerat Claſſem, & ferociores Regiis copiis intentarat minas, vel ex ipſis Britanniæ portubus, quàm pro ea virtute militari, quæ hoc eius congreſſu ſe prodidit, & pro ea ſubſidiaria opera, quam Rupeculanis hac expeditione nauauit:

uit: vt cui ſatis fuerit, poſt oſtentatam Claſſem, longinqua velitatione cannarum eludere, ac, minimè tentato prœlio, decedere. Haud dubium, quin eum defecerit animus, ad adſpectum inſtructiſſimæ Claſſis Regiæ, ad auditionem tam frequentis Nobilitatis Gallicæ, Voluntariis, & fortiſſimis pugnatoribus Regiam Claſſem in momenta ſingula complentis; ideóque minimè ancipiti ſpe victoriæ dimicaturum cum trepidante hoſte Regem, ſi vacillanti Claſſi plenam robore ac animis Claſſem admouiſſet. Verùm ex tempeſtate ventorum haurienda fuerant momenta huius adminiſtrandæ rei, quibus, quoniam eſſe nihil poteſt inconſtantius, nihil periculoſius, tentanda temerè non fuit tam anceps alea, & com-

Ludouicea Claſſis cur ſinus oſtio non exceſſerit.

& committenda fortunæ, quæ in manu esset, loco depellendi hostis facultas. Progressam longiùs ab Æstuarij Ostiis nostram Classem, quæ toto eo Oceano frequentissimæ sunt, ac varij generis procellæ, si alienas in oras dissipatam abripuissent, longiùs factum esset, dum aduersùm ventos eluctatur, quàm vt se tempori sua in Statiua reciperet. Intereà Britannus, tametsi ventorum iniuria etiam aliquò abductus, tamen vt est earum procellarum experientissimus, faciliùs quàm nostri ex eis se colligeret, nec omitteret occasionem occupare, in destituta Naualibus Præsidiis Ostia penetrandi. Quamobrem porrò non maiore conatu irruptionem in Ostia Sinus Rupeculani periclitatus sit Britannus, inde necessariò

ſariò factum eſt, quòd ex ea regione Oceani, quam ſibi ſumſerat, ad proſpectum, & còntemplationem Oſtiorum, & Sinus totius, liquidò animaduertit, ac diſpexit, & Tignarium Vallum duplex, & Saxeam Molem, & Naualia Clauſtra, ſeu merſa, ſeu fluctuantia, & citra, vltráque illas machinas, validiſſimã vtrimque Claſſem, quam ſciret ſtrenua Nobilitate, ac forti milite refertiſſimam. Harum virium cogitatione, quas, peſſima ſua re, atque fama, ad Cracinam nuper probaſſet, vel inuitus abſtrahebatur ab omni conſilio impugnandæ Claſſis Regiæ, atque Clauſtrorum. Quia, vt exundante maris æſtu, & vrgentibus ab tergo rapidiſſimis ventis, inuita noſtra Claſſe traiiceret, & obiecta Clauſtra, vel perfringeret,

ret, vel transiliret, tamen eadem ipsa Classis, quam ipse transmisisset, eisdem delata ventis, eodem vecta æstu, eum subsequeretur, interior Æstuario Classis exciperet, vtraque iunctis armis, loci angustiis, vt cancellis circumseptum, ad certamen cogeret, plenior animis, robore validior facillimè conficeret. Quæ mentibus Britannorum, nostra munimenta contuentium, obuersaretur ingentium discriminum formido, ab cogitatione prœlij planè abductos, aduersùm Rupeculanos immodica ira succendit, quorum Legatis apud se in eadem Classe versantibus, multo cum stomacho, & acerbissimis verbis exprobrarint, Britannorum Regi fœdissimè, ac sceleratissimè ab ipsis esse impositum, cui, contrà atque ipsis

Britanni Rupeculanis cur irati,

compet

compertum esset, impudentissimè asseuerauerint, ex Oceano per expeditum Sinum, Regiis Vallis traiectum minimè intercludentibus, patere cuique aditum in Rupeculana Naualia. Itaque, qui nec Classem, nec militem, nec annonam vellent manifesto exitio obtrudere, tam infesta omnibus periculis via, transitum minimè tentaturos: quam suam fidem Rupeculanis obstrinxissent, eam se luculenter liberare, cùm promissam copiosam annonam in conspectum vrbis adducerent, atque in proiectu expositam multos iam dies haberent: ex pactis conuentis præstare se nihil prætereà debere; nunc esse ipsorum curæ, industriæ, ac operæ, vt, quibus rationibus videretur, eam præsentem sibi vindicarent, & asserent.

rerent. Perculit non mediocriter Rupeculanos Legatos ea denunciatio, & alieniore tempore destitutio, quos in anxias cogitationes eius seruandi, & exportandi commeatus perpulit. Quibus cùm nihil cederet ex sententia, deuentum est denique ad obtestationes, & lacrymas, si fortè iis flecteretur Prętor Dambiquius, cùm ei nullæ rationes probarentur, sed neque hac machina factum est, quò minùs Britannica Classis, nocte illius diei, quo processerat ante Sinus Ostia, sublatis ancoris, cum vniuerso annonario apparatu, in Britanniam vela faceret. Priùs verò, quàm salo decederent, emiserant aduersùm nos Incendiarium Drómonem, instructum misilibus ignibus, septenis hominibus eius artificij peri-

Britannus discessum sine reditu denũciat.

tis,

tis, & cymba ad eorum receptum, cùm Drómonem inflammassent: sed eorum opinionem præoccupauit flamma celerior, & igniferum Paronem, ipsósque illius vectores momento concremauit. Sub hostilis Classis discessum, Melitensis Eques Guiltautius annonariam eius Corbitam armis cùm expugnasset, Ludouicus eius virtuti bellicæ totam illam, denûm millium aureorum prædam, condonauit, à quo liberaliter dimissi sunt captiui aliquot Aremorici mercatores, quos, prædas agens nuper Brægnautius, Rupeculanarum nauium Prætor, in vincula coniecerat. Hi mercatores apud Regem, de Britannica Classe percontantem, renunciabant, diuturnis, & acribus Britannorum, & Rupeculanorum

altercationibus ſe adfuiſſe, quibus illi perpetuò aſſeueraſſent, ex pactis, vno eo capite ſe Rupeculanis obſtrictos, vt eorum commeatum à Britannia ad *Băiæ Cornu*, ſuo nauali præſidio ſartum tectúmque præſtarent, vetitos intereà pugnare, niſi ſui tuendi gratia, cùm laceſſerentur. Duos autem è Rupeculanorum Ducibus, Feronium, & Brægnautium diutiſſimè inter ſe contendiſſe, de perfringendorum Clauſtrorum ratione ad Sinus Oſtia: ac Brægnautium quidem, ſi annona ducenda ſibi committeretur, aſſerere, quocumque ſui capitis periculo, pertentaturum per acies medias aditum: Feronium verò, contendere, ac liquidò probare, pro inſaniſſimo facturum; qui denſiſsimas illas ſiluas, & nauium,

Contentio inter Rupeculanos Duces.

uium,& vallorum, & pugnatorum, citra, vltráque Regiam Molem, peruadere niteretur. Nam, quas ſibi ad manum eſſe copias, præter ſex, eóſque caducos Incendiarios Parónes, quibus ſibi aditum per immania Oſtiorum Clauſtra, ſternerent, & maximè per inuictam illam generoſiſſimæ Nobilitatis aciē, cui deliberatiſſimum eſſet in oculis Regis occumbere millies potiùs, quàm vt tranſuerſum vnguem loco moueretur. Diſſipatis igitur, & ſua quidem ſponte, ingentibus illis nubibus, & diſcuſſis procellis, quæ vt immodici apparatus oſtentabant initia, cum certiſſimo exitio, & Regiæ Claſſis, & Munitionum breui eſſent detonituræ, Ludouicus, ſicut, ingruente periculo, vota Numini nuncupauit; ita,

Grates Deo edicit Ludouicus. eodem remittente, gratulationes Cælitibus edixit. Iam verò, qui pro ſanis cogitaturos, & geſturos Obſeſſos, ſapienter, & ex humanarum rerum conditione *Rupecula nos quid cogitare oportuit.* coniicerent, ambigere non poterant, quin ij, & ea annona, & eo militari ſubſidio deſtituti, ſuis rebus antè conſulerent, quàm perfectis Caſtrenſibus Munitionibus, omníque auxiliorum facultate intercluſi, reliquum ſalutis in vna Ludouici miſericordia poſitum haberent. Contrà tamen, quàm omnes prudentes arbitrarentur, accidit, vt Perduelles, quaſi è poteſtate mentis pridem exiſſent, alia omnia ſentirent, quàm, quæ ad vltima pænè adductos, decerent: nam confeſtim ab digreſſis Britannis, Regiam Molem, & circumiectas ei Stationes, tormentis

mentis appetere inſtiterũt. Tantò itaque impenſiore ſtudio, ac contentione incubuit Ludouicus, vt affectam eam Molem, tanti vtique momenti ad cæterorum Vallorum rationem, proximo Iulio exeunte, ampliſsimis futuris Oceani acceſsionibus, perfectam omninò præſtaret, ea maximè ex cauſa, quòd Britanni ea tempeſtate redituri putarentur: cuius reditus fidem Rupecułanis facerent Rohana, Sobiſij mater, & Hugonotorum Miniſter Salebertius. Eius ſubſidij, dubia licèt, exſpectatione vrgentem famem tolerabant, & ſoluendæ obſidionis inanes ſpes alebant: nos contrà durioris famis argumenta eis ſuſcitabamus, retrudendis quotidie in vrbem imbellibus capitibus, quæ continenter ipſi emitte-

rent, & quæ ſecundùm mœnia ſibi ſeuerant, penitùs ſuccidendis pabulis, ineunte Iunio ſe ad maturitatem prouehentibus. Qua meſſe vt nos arcerent, plus infeſtarum glandium muralibus tormentis eiaculati quatriduo ſunt, quàm ſeſquimenſe ſuperiore toto emiſerant. Per eam tempeſtatem, ardente magnis æſtibus cælo, Rex, Duces, Nobilitas, miles, apertis in campis, omni arbore, ac tecto nudis, ſolidos dies verſabantur: ſed tanta omnium alacritate, ad promouenda, perpetrandáque Caſtrenſium Septorum Opera, vt nemo, quantum ab ſole pateretur, aduerteret, nemo prorſus cogitaret. Exſtruendarum Munitionum aſsiduis occupationibus fructuoſiſsimè traductus eſt Iunius menſis, quo exeunte Saxcum

Perdurat Ludouicus in æſtu, vt & exercitus.

xeum Choma eò adductum erat, vt, promotis in Sinus intima geminis eius frontibus, intermissum eis spatium exteriore Tignario Vallo gemino penitùs obstructum esset, mersarum verò Corbitarum Agger, & fluitans Nauale Vallum vltimam manum propediem exspectarent. Eodem item mense, recensitò Regio exercitu, in oculis Obsessorum, & structo in armis sex ipsas horas perstante, longè numerosioribus cohortibus, formidabiliore specie, quàm qui priore lustratione ipsis ostensus erat, certam sibi perniciem in Regis animo destinatam, nisi maturè se dederent, haud dubiis coniecturis collegerunt. Eodem tempore, ab suis apud Regem Britãnorum Legatis, negotiationis suæ apud eam *Perfecta Moles.*

gentem propemodum desperatæ nuncios frequentes accipiebant, cuius mali ea causa certò ferebatur, quòd Bukinghamius summa inuidia laborabat apud vniuersam plebem, & ipsum Regni Consilium, cuius grauissimæ querimoniæ de Bukinghamio ad Regem scripto delatæ perscribebantur. Hi terrores desperationem in plerisque Obsessorum concitabant, & cupiditatem periclitandæ Regiæ clementiæ: quo factum est, vt è Ducibus certæ Legionis, vnum aliquem sibi notum bis in vrbem ad se aduocarent, quo, apud Regem internuncio, certis conditionibus deditionem paciscerentur: sed cuiusvis conditionis mentionem Rex planè aspernatus est. Haud multò pòst, octauo Idus Iulias, ad Maiorem Vrbis

Bukinghamius flagrat inuidia.

per

perlatæ ſunt ab tubicine litteræ Cardinalis, quas litteras ægerrimè admiſerunt portarum Cuſtodes, quibus lectis Maior, poſt diuturnam moram, verbo ad portas reſpondit, audiente circumfuſa plebe, ſe, ciuitatis nomine, omnibus priuatis ciuibus fidem, & auctoritatem abrogare, qui de tranſigenda deditione ſermonem inducerent, quoniám cibariorum ſibi ſatis eſſet ad obſidionem tolerandam, octauóque die, ſibi ab Britannis firmiſſimas adfuturas terra maríque ſuppetias; reſponſorum ſe nihil dare prætereà. Egentium in primis, quos dira inedia vexaret, & proborum, qui perduellionem ſemper damnaſſent, ſententia erat, vt optimo Principi vrbs dederetur, cuius ſententiæ crebra mentio factioſis ſtomachum ita

Mactantur Rupeculæ suadentes deditionem.

irritauit, vt publicè ad arma iretur, quo in congressu deterior causa viribus euasit superior, & eò processit vincentium ira, vt aduersarum partium non pauci vltimo supplicio multarentur. Ab ea innocentium cæde, metu pœnarum mutire nihil ausi egẽtes de plebecula, in singulos dies cateruatim exstinguebantur inedia: perseuerabátque nihilò minùs factiosorum obstinata contumacia, vt quodlibet mortis genus honestæ deditionis conditioni longè anteferrent. Per Augusti mensis initia, coacto vniuersorum Ordinum consilio, vti deliberaretur, de ratione conciliandæ annonæ, & via vrgendi Britannici subsidij, ipso in conclaui habendi Senatus, inter Primores Consilij, ac Magistratuum colaphis decertatum est, Guittonio Vrbis,

Vrbis Maiore,factiosissimo,& insolẽtissimo homine, non ferente vllam mentionem inferri de Regis clementia, & eius arbitrio dedenda vrbe. Quinto Idus Augustas,ipso die habiti Senatus,& ciuilis certaminis commissi, Forensis Decuriæ duo Consiliarij, alter ab Guittonio Maiore pulsatus,alter incussis Guittoni alapis iniuriam Collegæ vltus, Rupecula egressi, multísque precibus aditum ad Regem ægrè consecuti,periculo capitis,ad faciendam dictis fidem, interposito, asseuerarunt, cibariorum apud Obsessos id modò superesse, quod ad exeuntem vsque Septembrẽ exiliter sufficeret. Pòstridie illius diei Belgicæ mercatorum naues satis magno numero animaduersę sunt in Oceano, quarum aspectus dubius mili- *Rupeculæ pugnatur colaphis in Consilio.*

tem noſtrum ad arma conciuit, Obſeſſos opinione Britannici auxilij,ad erigenda ſummis culminibus,& propugnaculis,vexilla, inani ſpe animauit. Quæ de Britannicis rebus veriſsimè nunciabantur, Obſeſſorum ſpes infringebant non mediocriter: conſtabat enim perſeuerare totius Britannici Conſilij acerba in Bukinghamium odia, & eius omnia inſtituta vehementer oppugnari,ac maximè, quæ eſſent,de inuehendo in Galliam exercitu: vultu tamen,ac verbis Primores Rupeculani eius auxilij magnam exſpectationem prę-ferebant. Minimè autem dubitabatur,quin Obſeſſorum cauſa maximè vellet Bukinghamius, idemque apud Britannię Regem in eadem eſſet gratia, qua vmquam fuiſſet; ſed incertum erat,

quantum adhuc poſſet pecunia, milite,nauibus : ſed eius dubitationem ſuſtulit Regium Edictum in Catholicos Britannos, conuiciis pænè vrgente Regni Conſilio expreſſum, quo Edicto mitigatis Conſilij animis, quidquid vellet Rex, ab eo impetraturus putabatur. Ludouicus itaque, ne qua fraus hoſtium, aut improuiſa vis nos imparatos occuparet, & intima Æſtuarij adversùm Obſeſſos,& eiuſdem extima aduersùm Britannos, validiorum Claſsium præſidiis ſibi munienda ſumſit:& quidem vltra Sinus Clauſtra, quadraginta maiores lembos, decem triremes,totidem quadriremes, Prætoriano milite inſtructas, prohibendis Rupeculanorum eruptionibus,collocauit. Citra verò Æſtuarij ſextuplex illud ſolidiſ-

ſimum vallum ſexaginta lembos, ſeu phaſelos grandiores, duodeviginti triremes, quadraginta quinque militares gaulos, omnia hæc nauigia, milite, armiſque inſtructiſsima, conſtituit. Ad ipſas porrò Regiæ Molis anguſtias, ſexagenûm doliorum vicenos binos lembos, impoſitis octingentis militibus, in eius aditus præſidia, deſtinauit. Singulis autem Naualibus ad Molem Præfectis nominatim hæc erat demandata prouincia, vt, ſi Britannus perrupta primore ad Oſtia Sinus nauali acie, atque ad iſtos Clauſtrorũ lẽbos inuectus, maiore vi pręſidiũ vrgeret, quàm cui noſter miles poſſet obſiſtere, tum revulſis embolis, & patefacta quoque in lembo feneſtella, eos momento demergerent, & in eam rem ſibi admotis cymbulis,

Claſſicis viris ab Ludouico edita imperia.

lis, vniuerſum præſidium in propinquam Molem euaderet, demerſis lembis intereà hoſti viam obſtructuris. Eadem quoque indicta erant imperia inſidentibus Fluitans Vallum anterius Legionariis, quibus excipiendis, poſt perfoſſas ad merſionem naues, lenunculi erant appoſiti: & non dubitabatur, tanta nauigiorum aquis obruta mole, quin aditu impeditiſſimo diſtenti Britanni, omni progreſſu arcerentur; quibus in anguſtiis, quia manus eſſent conſerendæ neceſſariò, nemo ambigeret, quin noſtri virtute ſuperarent. Per eos quoque dies, quoniam Voluntariæ Nobilitatis ferè aberant cohortes, per abſentiam ſcilicet peregrinorum hoſtium, & ingentis roboris erat hæc clarorum virorum manus, Ludouicus

San.

Santonibus,Pictonibus, Aremoricis,ea claritudine bellatoribus, euocandis litteras dedit, qui mox turmatim aduolauere: ſed per multos dies non comparente hoſtili Claſſe, hæc Nobilitas ad vicinos cognatos, & amicos diuerſatum abiit. Naues quidem iam inſcenderat Britannicus exercitus; longè tamen minor, quàm pro eis copiis, quas Obſeſſi venditabant: ſed quantæ quantæ demum eſſent, Sobiſij, & Rupeculanorum Legatorum obteſtationibus fatigatus Bukinghamius ſacramento ſe obſtrinxerat, iiſdem omninò copiis viuum, aut mortuum in Rupeculam penetraturum. Ex animi planè ſui ſententia conceptum à Bukinghamio iureiurandûm irritum præſtitit Feltonius Britannus ſicarius,perpetrando fœ-

do

do facinore, ipſo Sobiſio coram, Rupeculanis Legatis, & aliis è Gallia Perduellibus non paucis, cùm decimo Calendas Septembreis, tértia de meridie hora, ſuo conclaui cum Suffolkio Comite progreſſum in anterius cœnaculum, inter vtriuſque mutuas conſalutationes, Bukinghamium cultro confoſſum interemit. *Bukinghamij cædes.* Quoniam admiſſo ſcelere percuſſor illicò ex oculis aſtantium ſe in ſubiectos ædibus hortos abduxit, neque noxæ ductus pœnitentia, neque periculo capitis territus, conclamatum ſubitò eſt ab domeſticis, Ducem, herum ſuum, ab Gallis percuſſum, ac vniuerſos nefariæ cædis reos contrucidandos: & coacto reuerà ex percuſſi ſatellitibus globo, in Gallos inuolaretur, niſi percuſſor Feltonius, inaudito

dito familiarium, Gallos ad cædem poſcentium, clamore, ex hortis in culinam ingreſſus exclamaſſet, Gallos iniurià eius noxæ inſimulari, ſe vnum eſſe illius flagitij auctorem, ſi quod tamen eſſet flagitium. Atque, vt meditatus id facinus conſciuiſſe, quódque admiſiſſet, non admiſſum nolle, videretur, ſua ſponte, nec rogatus profitebatur, cædis eius perpetrandæ gratia, cultrum conflandum ab ſe locatum eſſe, cui candidum eſſet manubriũ: ac ne alius, per errorem, illius facinoris appellaretur, ſcriptam ſchedam galero inſeruiſſe, quę auctorem facti proderet, ſi fortè is inter patrandam cædem periret. Cauſam quoque meditati, & admiſſi ſceleris lubens, & vltrò aperiebat, non quam ex Bukinghamij erga ipsũ
iniuriis

iniuriis pronum esset suspicari, seu quòd illius fraude legitimi stipendij libræ octingentæ ipsi detinerentur; seu quòd eius Ordinis, in quo ipse Legatum pridem ageret, cùm bis vacasset, debitus sibi Centurionatus immerito alteri delatus esset: non illam, inquam, afferebat causam: sed, quòd Publici Consilij editas libello querimonias in Bukinghamium legerat, quibus cognitis gloriosissimum sibi, omnibus probis gratissimum, patriæ felicissimum duxisset, si Britanniam eo monstro liberaret. Illum quidem, qui sic perierit, siue sua, siue aliena culpa, odio publicè, priuatimque flagrasse, multis constitit argumentis: vti, quòd ab nauiculario palam, & in sua rheda fuste sit verberatus, paucis ante obitum diebus: quòd eius fami-
liaris

Bukinghamus publico ardebat odio.

liaris Iuriſconſultus ab Londinenſi plebe in publico fuſtibus obrutus interierit: quòd contumelioſo dicto, factoque nobilis Scotus eum, Rege coram, inſimularit inſolentis ſuperbiæ.

VI Intereà, Ludouico vrgente opus, Saxea Moles ad Oſtia Sinus abſoluta eſt, cuius ad ſingulas interiores frontes, ſingula propugnacula cœpta ſunt, ſtatuendis tormentis, & militibus, ad Clauſtrorum præſidium, quibus inſtitutis Rex iteratò vrgendis ad deditionem perduellibus animum adiecit. Eius ergo iuſſu, decimo ſeptimo Calendas Septembreis, ab regione Cognenſis portæ, Regius Fetialis, ſymbolico ſago, cudone, ſceptro inſignis progreſſus, antecedentibus binis æneatoribus, ad conciendũ Maiorẽ Vrbis, cæteróſque Magiſtratus,

tus, quibus sollemne carmen cōceptis verbis pronūciaret, ab obuiis stationū custodibus satis cominiter acceptus, post diuturnam deinde moram nihil respondēte Magistratu, ab nonnullis, egredientibus vrbe, militibus ferociter, illiberaliter, minacitérque reiectus, irrita opera, ad Ludouicum rediit. Dira fame contabuerat iam vniuersa ferè plebecula, déque reliquo populo frequenter quotdiebus centuriæ mœnibus effundebantur, quouis pretio vncias panis redemturæ, si daretur in castra aditus, quorum nonnulli vltrò se inter tela vrgebant, quibus esset potius suspendio apud nos perire, quàm in vrbe acerbissima inedia confici. Non facile sit verbis explicare, quàm grauia passi sint diuturna cibariorum penuria, ad quàm

Rupeculani iubentur se dedere.

Rupeculanorum angustiæ.

fœda deſcenderint edulia, quàm crudeliter, copioſiores ciues egentioribus, omni deneganda ope, ſe adhibuerint, quàm ſordidis animis locupletiorum quidam modica ſibi reſidua cibaria ingentibus pretiis diſtraxerint, póſtque paullò ſæuiſſima fame contabuerint: vt viſi ſint vniuerſi, velut diuinitùs immiſſo ſtupore, cùm expeditiſſima iis ſuppeteret ad ſalutem via, in ſuam perniciem vltrò coniuraſſe. Per has cibariorum anguſtias, ſi Obſeſſis liber aditus pateret in Caſtra Regia, nullus eſſet tranſitionum finis, eorum maximè, qui recta ſenſiſſent, & animo abfuiſſent ab Rebellione: ſed huius generis, & aliorum hominum multos adigebat inedia ad moliendam ex vrbe fugam, & transfugarum vix vllus ſine litteris abibat,

abibat, nullus pænè Castrensium Excubitorum manus declinabat. Ex iis litteris diuersarum factionum ingenia, & consilia varia detegebantur, cùm alij Obsessorum angustias occultarent, Regiarum Munitionum eleuarent firmitatem: alij, qui rerum status in Vrbe, ac in Castris esset, ex fide perscriberent. Quæ in Britanniam destinabantur litteræ, aranearum telis imbecilliores depingebant, & Machinas obstruentes Sinus Ostia, & Regias Classes, & Classibus impositas Legionariorum cohortes: sed neque Britannis, neque Gallis Perduellibus faciebant fidem, qui, superiore Maio, vidissent alia omnia, & suo damno essent experti, quàm isti scriberent. Atque vti fallendis Britannis nullas non excogitabant artes Perduellium

duellium Primores; ita ludificandis ſuis ciuibus, & ad tolerandam famem acuendis, nouis quotidie nitebantur argumentis: ſed apud vacuos pridem ſtomachos eiuſmodi tolerantię non inueniebatur locus. Itaque ſicuti quinto Idus Auguſtas, ipſo in Senatu, primarios inter viros, colaphis decertatum erat; ita tertio Nonas Septembreis ipſo in Templo, ſub concionem, inter primores matronas, pugnis, & vnguibus dimicatum eſt, cùm aliæ ab Vrbis Maiore poſtularent cibaria, aliæ diſſimulandas publicè anguſtias eſculentorum putarent. Vrbis Maiorem, & eius factionis homines, offendebat publicè interpoſita annonæ poſtulatio, quòd, verbis quidẽ, nuda erat cibariorum petitio: reapſe verò, ad deditionem erat ſuaſio,

Pugnant in Templo Rupeculani.

&

& nisi satisfieret, seditionis mera denunciatio. Enimverò publicè in circulis, tota vrbe, iactabatur, optimo omnium Regum Regi, quæ ipsius esset, sicut cæteræ Gallicarum vrbium, dedendam esse vrbem, túncque futurum diuturnæ famis finem, quæ vexationum omnium vexatio esset infestissima, & tolerando importunissima. Hanc ciuium sententiam, obscurè sibi inculcatam audiit, per eam matronarum in Templo velitationem, Vrbis Maior, cùm, quaternarum vrbis regionum, vnius Præfectus, matronæ, quæ pulsata tunc esset, cognatus, processit, & in os Maioris Vrbani liberè sic est prolocutus: Si saperet, summa inedia laborantibus panem largiretur: non enim diutiùs posse contineri suæ regionis ciues, qui vniuersi

Fames seditionem creat Rupecula.

uersi essent in armis,quibus nisi maturè fieret satis, armatum se in illius aciei fronte proditurum. Hæc cùm pronunciata essent, eo vultu, eo verborum sono, qui seria, & meditata locutum euincerent, conterritus Vrbis Maior, prolixè pollicitus est omnium postulatis primo quoque tempore facturum satis: quo promisso vt se in speciem exsolueret, init consilium & Regis, & Obsessorum fallendorum simulata mente deditionis transigendæ. Interposita igitur mentione dedendæ Rupeculæ, curat in vrbem ex Regiis Castris aduocari virum Nobilem, Arnaudum Courbillæum, quocum multis verbis agit intra mœnia,& pridie Nonas, & Nonis Septembribus, ac deinde cũ certis postulatorum capitibus, ad

Deditionẽ simulat Maior fallendæ plebi.

ad Regem dimittit, à quo missus est Cardinalis, qui transigeret negotium, ad quem prodiere in Castra Obsessorum Caduceatores, duabúsque horis summa pace transactis, multam præferentes ore lętitiam, in vrbem abiere, eódem redituri postridie, neque condicta hora abfuere. Mensem iam aberat ex Castris Ludouicus, in quæ cùm se recepisset, quarto Idus Septembreis, & confestim à prandio prodiisset in publicum, visendæ pænè absolutæ Molis gratia, venturo præstolati Perduellium Caduceatores, vbi comparuit, supplicum habitu, ac gestu progressi, se ad eius pedes, prouoluti in genua, abiecere, summáque demissione obtestati Regiam Clementiam, ac Misericordiam, suæ ciuitati Perduellionis gratiam po-

ſtulauere. Quorum ſimulatas preces ratus Ludouicus profe-ctas ex animo, breui, ſed graui reſponſo excepit: Perpetua ſua, & contumaciſſima Rebellione commeritos eſſe, in quos ſeue-riſſimè animaduerteretur. Quo-niam tamen benigniſſimus Deus eam ipſis mentem inſpiraret, vt infinitas noxas agnoſcerent, vt eæ condonarentur, eis ſe vitam condonare. Vt ex vultu legeba-tur, pleniſſimi lętitia Rupeculam rediere, poſtridie ad Regem re-uerſuri, apud quem liquidò per-ſcriberentur ſingula deditionis capita: ſed deinceps neque viſi ſunt in Caſtris, neque vllus nuncius de ipſis vmquam audi-tus eſt. Vulgò quidem perſua-ſiſſimum erat, bona fide Obſeſ-ſos dędenda vrbe pactos ſibi vi-tam ab optimo Principe, quibus

alioqui

alioqui fœda fame pereundum esset: Ludouico tamen non facilè persuadebatur, qui fraudes eius generis hominum pridem peruidisset, & insidias meritò suspicaretur. Et reuerà Guittonius, Vrbis Maior, homo perfidiosissimus, & versutissimus, hanc cum suis emissariis stropham excogitarat simulatæ deditionis; tum suis ciuibus, inediæ impatientissimis, inani spe cibariorum lactandis; tum Regi, ac Castrensibus Ducibus, ea forsitan cogitatione suæ causæ indormituris, oblata negligentiæ occasione, per inducias opprimendis. Et certè biduo pòst, id est, pridie Idus Septembreis, constitit, quàm sincera fide Optimi Principis summã æquitatem tẽtaret Hugonotus, cùm, tertia hora matutina, immisso in

Deditionem cur simulet Maior.

Regias naues igniario Drómone, vniuerſæ Claſſi intentauit incendium, inani tamen conatu, quòd auerſus ab Excubitoribus Dromon, intactis noſtris nauibus, ſuis ipſe ignibus deflagrauit: Obſeſſorum intereà tormentis frequentiſſimis in Molem, & Machinas Regias detonantibus. Hoc ipſo die Rupeculanus explorator, equo vectus, pomeridianis horis, Regiis Præſidiis, & Vigiliis palam, propter Sinus oram, & præter Ludouiceam Arcem intrepidè præteruectus, Excubitoribus cum fruſtrà inſequentibus, Rupeculam euolauit, & Obſeſſis nuncios attulit, proximis diebus adfutura Britannica auxilia, quibus nunciis, neque noſtri, neque Obſeſſi fidem habuere, audita Bukinghamij nece, quæ auxiliares copias

pias turbatura videretur. Poſtridie illius diei Ludouicus nihil moratus nuncios Britannicæ Claſſis è portu breui ſoluturæ, Surgerias rediit ad oblectamenta venationis, quem ſua longè fefellit opinatio, & non paucos de Caſtris, imparatos Britannos ducentibus, qui tamen decimo quinto Calendas Octobreis, factis velis, quarto Calendas eiuſdem ad Olonia Sabuleta ſpectandos ſe noſtris præbuere. Fuit ea Claſſis centum quadraginta nauium, armatorum ſex millium, ſupra Claſſiarios miniſtros, quibus ex nauigiis tria grandia, ſtructilibus muris ad vtrumque latus munita, infeſtas quaſvis tormentorum glandes retunderent, totidem onuſta fimo, iniectas flammas concepturo, ex quibus exundans denſiſſima fu-

Britannica Claſſis centum quadraginta nauium.

mi nebula impugnantium aſpectum obrutura ſit. Quo ipſo die comparuit Britannus, ab Cardinale ſub noctem commonitus per litteras Ludouicus, vix ea ſignificatione perſuaſus, inſcendit tamen equum, & in Caſtra contendit, póſtque paullò ad oram *Baïani Cornus*, vbi ſubſtitura in ſalo Claſsis Britannica putabatur, eius inſpiciundæ gratia, ſe contulit, ibique ad pręſtituenda cuique Ducum bellica munia, ſedem fixit. Inde primos omnium Voluntarios euocandos edicit, compertæ ſibi virtutis, & bellicæ alacritatis viros, quorum tam incenſum ad id muneris animaduerſum eſt ſtudium, vt, & primoris Nobilitatis plerique, & clari Dynaſtæ, quibus ad manũ equi non erant, allato nuncio, ſuis pedibus maxi-

Voluntaria Nobilitas Gallica.

mam

mam viæ partem emenſi ſint, dum equi ſummitterentur; & toto quidem exercitu ardens adeò fuit pugnandi cupiditas, vt, inſtante licèt Rege, non ſit inuentus nuncius, qui Lutetiam ad Reginas cum litteris vellet decurrere. Ingens illa, & ſelecta Voluntariorum manus, niſi ab Ludouico inhiberetur, incredibili ardore naualis certaminis, vniuerſa ſe promotis ad prœlium nauigiis infunderet, gregarij militis defunctura muneribus; ſed illius parte nauibus impoſita, maiorem partem terreſtribus copiis induxit, tributam in ternas cohortes, quibus ſingulis ſinguli præeſſent Duces, Comes Harcourtius, Comes Rupifocaldius, Marchio Neelleus, æquè lubēter omnes, pedites, ac equites prœliaturi. Ea porrò Lu-

douici eo pomeridiano tempore fuit nauitas, prouidentia, celeritas, vt ipſe vnus, atque ad bellicum negotium accommodatiſſimè, & maritimum, & terreſtrem exercitum ordinaret, ac in vtroque ſimul exercitu tormenta libraret. Hoſtilis autem Claſſis, tertio Calendas Octobreis, fuit in ancoris pro Martiniana Arce ad inſulam Cracinam, vnde diuiſis nauibus profecti poſtridie, aliæ nauium citiùs, aliæ tardiùs versùm Regiam Claſſem progreſſæ, ſub veſperum, iunctis omnibus naualibus copiis, *Baïanum* in ſalum contenderunt, & inibi fixere ancoras. In eos, Claſſem appellentes, tricenas ex aduerſis tormentis glandes emitti iuſſit Ludouicus: ac mox frequentes triremes, crebro miſſilium pilarum iactu, ad prœlium è pro

Ludouicus maritimum & terreſtrē ſtruit exercitū.

Hoſtilis Claſſis ad Baïa Cornu.

è propinquo laceſſentes, numquam tamen ad cõgreſſum concitati, Rupecula interim feſto Campani æris ſonitu, & tonitru cannarum, tumultuoſiùs perſonante. Octobribus Calendis, per noctis denſiores tenebras, Britannus è Claſſe noſtras in naues emiſit duodena *Natantia Tormenta*, hoc eſt, breuis, & laxi tubi cannas, ſalignis tabulis ſingulis ſingulas in os inſidentes, conciendæ flammæ inſerta ad latus machinula, quibus noſtrarum nauium aliquæ, aut inflammarentur, aut perfoſſæ, ac incenſæ mergerentur. Eius tormenti genus, figura iis conſimile, quæ, igniario ſufferta puluere, ore obuerſo, portarum valuis inferuntur, ad moliendum per ruinas aditum: ſed materia longè diſpar, tenuibus ſcilicet albati ferri

Petards flotans ſur l'eau.

Natantia tormenta Britannorum.

conflatum laminis, prono ore ſalignæ tabulæ inditur,& ad oris latus chalybeo trochidio, ac pyrite inſtruitur lapide, quibus concipientibus flammam, ex fluitantis tormenti, ac obuiæ in aqua nauis colliſu, ipſa interdum nauis impetu ſuccenſi pulueris pertunditur, perfoſsáque, aut incenditur, aut mergitur, ſi nemo aduertat,& opem afferat. Ex immiſſis autem illis tubulis incendiariis, vnus fortuna delatus in quamdam noſtrarum nauium, ac eius *ancorario phello* alliſus, erumpente cum impetu flamma,& rudentem propellente,aquæ non modicum ſua vi intulit in nauigium, nullo præthereà cuiuſquam incommodo, cæteris in Oceano fluitantibus ad vnum, ſine noxa, receptis. Sexto Nonas Octobreis, perſtantem

Boüée, forme de gros patenotre, anfilé au cable de l'ancre.

ſtantem in ſalo Britannicam Claſſem noſtræ cannæ,ex intendentibus in eam ſtationibus omnibus, vehementer diuexauere, viſæque ſunt diu fluctuantẽ loco diſpellere,vt multorum eſſet ſententia,reuulſuram eo die ancoras, inque ſuos portus profecturam: ſed aliis contrà videbatur,quòd tormentis erat inſtructiſſima, infinita vi telorum molituram ſibi exſcenſum, & expoſituram exercitum in propinqua ora,minimè ardua. Quoniam munitiſſima erant Sinus Oſtia,vel ipſorum hoſtium confeſsione, non credebantur Britanni tentaturi aditum, quà ſibi obſtructiſsima cenſerent omnia; ſed molituri cum annona ingreſſum in Rupeculam, ſi ex ſententia cederet exſcenſio: eapropter, qui naualibus Præſidiis

Exſcenſuris Britannis opponitur exercitus terreſtris tota ora.

deſtinati non eſſent, ex claſſe reuocati ſunt ad firmandum terreſtrem exercitum, qui, obtegenda vniuerſa maritima ora, hoſtem omni exſcenſione prohiberet. Ipſe Ludouicus, cum delectis primariæ Nobilitatis, ac Voluntariorum cohortibus, ipsíſque illius plagæ Statiuis, & Adſcriptitiis Legionibus, *Baïani* Promontorij omnes oras ſibi tuendas ſumſerat: Inculiſmæus, & Schombergius, exercitus Legati Regij, Corellianum Cornu propugnandum ceperant: leuis omnis Equitatus, ac Prætorianæ Cohortis grauis Ala, ducibus Trimoïllio, & Aleſio, ſubſidiarias ſuppetias pedeſtribus copiis erant præbituri: Mercatoribus, Caſtrenſem commeatum ſubminiſtrantibus, ducem ſibi ad militaria munia depoſcentibus,

bus, aſsignato Præfecto, commiſſa eſt maritimi propugnaculi defenſio. Quinto Nonas Octobreis, Claſsi ſecundo afflante vento, Britanni quarta hora matutina, ſublatis ancoris, adornare nauigia, aciem inſtruere cœperunt, & Claſſem ad prœlium promouere, noſtérque viciſsim, & naualis, & terreſtris exercitus inſtructus ſe alacriter ad certamen comparauit. Sexta matutina hora cœptum prœlium eſt, ac in tres, & dimidiatam horam propagatum, hoſtibus ſecundiſſimo vento vtentibus, Claſsi noſtræ infenſiſsimo; numquam tamen propiùs progreſsis, quàm vnde glandes tormentis adiicerent, vt eapropter vniuerſa dimicatio longinquis telorum emiſſionibus tranſigeretur, plúſque quina millia pilarum eo certami-

Prœlium nauale longinquis miſſilibus.

ne

ne iacerentur. Ludouicus, pridie huiusce conflictus, bina cannarum suggesta suæ descriptionis erexerat ad *Baïanæ* oræ crepidinem, & cannas suo ipse libramento statuerat, quarum opportunissimas emissiones, & hostibus infestissimas, toto prœlio, lætus sua industria, obseruauit: idémque, ipso pugnæ tempore, aliis quibusdam tormentorum podiis, igniarias machinas, suo ex ingenio frequenter librauit, & in hostem direxit euentu felicissimo, inter quam nauandam suis copiis operam, frequentes ex hoste glandes, dextrà, læuà, supernè, accidentes proximè, fortissimum Principem numquam conterruerunt, neque permouerunt suorum vllæ obtestationes, vt transverso vngue longiùs abscederet. Obsessorum

Ludouicus perstat infesto tormentis loco.

perpe

perpetua fuit iaculatio, quoad nauali pugna decertatum eſt: ſed irritæ ipſorum fuerunt emiſſiones, præter vnam, quæ ad Corelliam quinos cõfecit pugnatores, quorum ſanguis in ipſos Regis Legatos, Inculiſmæum, & Schombergium effuſus eſt: ſed auſi ſunt prætereà nihil Rupeculani; tametſi auerſo grandiore nauigio, quo portus obſtruuntur oſtia, viſi ſint producendis nauibus quidpiam molituri: ſed omnis eorum conſumtus eſt conatus, in emittendo Incendiario Lembo, qui vna noſtrorum glande ſubmerſus eſt. Britanno perierunt quatuor nauigia, quorum eis bina extorta, tertium demerſum, quartum ex immanibus illis Cercuris vnum, quinquagenis inſtructum tormentis, adeò conquaſſatum, & lacerum ex di-

micatione abſceſsit, vt in Loïam Inſulam trahendum fuerit: pugnatorum verò, quid eis ex pugna deceſſerit, non facilè conſtitit, niſi quòd animi eis reliquum nihil factum eſt, ad conſerendas manus, omni reiecta ſpe in longiùs diſsitæ Claſsis glandarias emiſsiones. Ludouico, quod ad pugnatores pertinet, fauſtus accidit hic conflictus, quòd quatuordecim ſauciis dumtaxat, vndetriginta modò deſiderati ſint, quorum glorioſiſsima memoria omne ſuperſtitum decus longo interuallo ſupergreſſura ſit. Britannus porrò ad tertium Nonas Octobreis, ſexta circiter hora matutina, paullò propiùs admota Claſſe, quàm priore prœlio, inſtituit nos laceſſere infeſtis cannarum pilis, quibus cùm vicem rependeremus, continente

glan-

glandium procella, is tumultus quaternas in horas prorogatus eſt: inter quem Incendiarios Lembos nouem ea ſerie promouerunt, vt ponè occulerentur bellicæ aliquot naues, tormentis inſtructiſsimæ, quarum aſpectum oculis noſtris ſubduceret Lemborum Igniariorum fumus diffuſior. Sed ſingulis Igniferis Lembis immiſſæ ſingulæ expeditæ cymbulæ, ipſos ab noſtra Claſſe auerſos abduxerunt, quò libuit; tametſi continenter appetitæ hoſtium glandibus, nullo ſuo incommodo, niſi vnius militis nece. Spectator perpetuus, & attentiſſimus naualis dimicationis Ludouicus obſeruauerat vniuerſa Claſſiarij Prætoris munera ſcientiſsimè, prouidentiſsimè, generoſiſsimè adminiſtrata eſſe ab Valancæo Equite;

Iaculatorium aliud prœlium nauale.

Ludouicus Valanceo gratulatur virtutem Pratoriam.

te: quamobrem, ſtatim ab edito prœlio miſit ad eum de ſuo comitatu, qui ſuo nomine ipſi prolixè gratularetur hanc ſibi periucundam, Regno fructuoſam, Gallico nomini glorioſam nauitatem, induſtriam, voluntatem. Et reuerà Melitenſes Equites Gallicæ gentis, qui toto hoc bello frequentes fuere in Regia Claſſe, atque Caſtris, præter cætera bellicæ virtutis decora, cum reliqua Nobilitate ipſis communia, hanc præcipuo ſibi iure palmam tulere, vt, bellicarum nauium ſumma cum laude gerendis Præfecturis, Britannicæ gentis nauali pugna debellandæ, nos expeditam rationem docuerint. Enimverò, ante hoc Rupeculanum, & Britannicum bellum, non tota modò Gallia, ſed vniuerſa ferè Europa, fuit ea communis

Melitenſium Equitum eximia virtus Claſsica.

munis omnium exiſtimatio, naualis certaminis, ſine controuerſia, ſingulares coryphæos, & antiſtites eſſe Britannos, eíſque merito ſuo concedendum de omni maritimo imperio. Sed dedocuere nos hunc errorem Melitenſes, cùm verbo oſtenderent, Britannos eſſe illos quidem moliendis ingentibus nauigiis, & expediendis tormẽtis induſtrios, ac exercitos; conſerenda verò manu, & committendo collatis pedibus conflictu, minimè nauos eſſe: ideóque ſuffertas cannis immanes naues circumuehere, naualia prœlia manu neutiquam exercere, longinquis iaculationibus ſolere velitari. Eapropter in Mediterraneo, Britannicis piratis infeſtiſſimo, ſollemnem eum eſſe morem Melitenſibus Equitibus, vt in Britannos, miſſilibus

Britanni eminùs ſtrenui, cominùs penè imbelles.

pro

procul molientes dubium prœlium, velis, ac remis concitatas triremes magno impetu agant, quibus admotis, nihil ſe vmquam vereri, quin binæ, ternæ, aut etiam ſingulæ triremes, duplo, ac triplo frequentiores Britannicos Gaulos facili negotio expugnent: qui dubitet, quò minùs eadem fors Britannis impendeat in Oceano, ſe Melitenſibus in Britannos inuehentibus comitem, & ſpectatorem adiungat. Eam Britannicam conſuetudinem defugiendi congreſſus, & eius, quod conſertis manibus adminiſtratur, certaminis, ſi Melitenſium nemo nos admonuiſſet, facile fuit animaduertere tota ex Oceani ora, Obſeſſorum oculis ſubiecta, quibus non potuere magnoperè commendare, aut probare naualem ſuam fortitu-

titu

titudinem,quam tamen magnificè oſtentaturi, toties irrita venere opera. Sed eo certamine, quod Valancæo Equiti gratulatus eſt Ludouicus, ſex modò de noſtris ſunt deſiderati: Britannis verò ea eſt illata labes, & ab Valancæis, & ab Baïanis, & ab Corelſianis tormentis,quam toſtatus eſt eorum ipſo die diſceſſus in longinquius illud Baïanæ oræ ſalum, vnde proceſſerant. Terrorem porrò maiorem hoſtibus incuſſum fuiſſe proximis duobus prœliis, quàm quantum præferebant,documento fuit ex Britannico exercitu ille Subcenturio, qui transfugam ſimulans,reapſe tamen miſſus à Prætore Nauali Dambiquio,& Gallicis Proceribus, ea in claſſe agentibus, qui phaſelo vectus, adeundi Regis copiam rògauit, miſ

Valancao ſex periere milites, Britannis plurimi.

Britanno terror incussus duobus prœliis.

missúsque ad Cardinalem significauit, Britannicæ Classi committendæ pugnæ nullam esse impositam prouinciam; sed conciliandæ cum Rege Rupeculanę ciuitatis, Sobiseique, ac Lauallæi comprehendendi eius conciliationis capitibus: sed hic Subcenturio, quòd suæ legationis nullos habebat auctores, tametsi aiebat, rata omnia Britannis futura, quæ diceret, sine responso reiectus est. Per hosce dies, exploratorum, Rupecula cum litteris se eiicientium ad Britannos, non pauci comprehensi, sua diligentia sibi accersiuere suspendium: neque prohibere potuit paratum iis certum supplicium, quin frequentes erumperent; tantus erat vel damnatæ causæ iuuandæ ardor, vel ea occasione captandi cibatus cupiditas. Nonis

Octo

Octobribus, Britannicarum nauium non exiguum numerum Sobiseus circumduxit ea occidua regione Cracinæ Insulæ, quam siluestre, ac ferum mare vulgò vocant,& eùm circumuectus insulæ ambitum,totis inspectantibus Castris Regiis,eas naues, quasi recentia adduceret auxilia,Britannicæ Classi adiunxit:sed ea stropha, non adeò ingeniosa fuit,vt eam quisque non aduerteret,quæ,cum suo auctore,ab nostris exsibilata est.Quarto, tertio, ac pridie Iduum Octobrium, quibus Oceanus cumulatioribus æstibus exundaturus erat, Britanni credebantur in Regiam Classem, & ostiaria Sinus Claustra,aquis eorum conatum adiuuantibus,impetum facturi: per eos tamen dies totos substitere in salo, & ancoris,

Sobisei puerile stratagema.

Britannus opportunitate fauentis æstus nõ vtitur.

ancoris, eorum cessationem impatientissimè tolerante numerosissima Voluntariorum manu, sed ea nominatim, quæ recens ex Reginarum comitatu aduolarat.

Britãno petente intercedunt induciæ.

VII Post Octobreis Idus, petentibus Britannis, quindecim dierum intercessere induciæ, per quas Montacutius Eques Britannus, Lutetiæ nuper captiuus, recens ex Britannia ad Ludouicum, missu Britannici Regis, adiit, rationes pacis duos inter Reges tentaturus, ea tamen conditione, vt Sobiseus, Lauallæus, Rupeculani, pacis formula continerentur. De his tribus retulit Ludouicus, causæ nihil subesse, quamobrem Britannorum Rex sibi quid transigendum, aut etiam cogitandum sumeret: scire se, quonam pacto erga obnoxios

Legatus ad Ludouicum adit nomine Britãni Regis.

xios

xios ſibi omni iure homines, próque ipſorum merito,ſeſe adhibiturus eſſet : quod ad Britannos pertineat, eodem ipſos apud ſe loco fore,quo Galli apud Britannos fuerint. Cum hoc reſpõſo dimiſſum ab ſe Montacutium Ludouicus iuſſit lautiſſimè accipi,ac totis Caſtris,ac Munitionibus cum honore deduci,vt, eo ab ſe animaduerſa per otium referente,Britannorum Regi liquidiùs conſtaret, quibus tandem argumentis Rupeculanæ obſidionis ſolutionem in eum diem ſuſcepiſſet,& poſteà ſuſcepturus eſſet. Piratæ aliquot Rupeculani,Santonico, Pictonico, Aremorico in Oceano pridem liberiùs deerrantes, Britannicæ Claſſis fiducia, per hoſce dies propinqua Regiæ Claſſi littora ſibi legenda ſumſerant, & Ca-

rantonij fluuij oſtiis ingreſſi circumiectos eius ripæ agros populabantur, quos Inculiſmæus, Legionis Subalpinæ aliquot inuectus manipulis, decimo tertio Calendas Nouembreis, toto eo tractu ſibi exigendos ſumſit, & cum ipſorum clade protinùs exegit. Nondum exierant initæ cum Britannis in exeuntem Octobrem induciæ, cùm ex Regia Claſſe, ſiue caſu, ſiue cuiuſpiam conſilio, Incendiarij Paróncs quatuor in Britannicas naues delati ſunt, vndecimo Calendas Nouembreis, cui vindicandæ iniurię, biduo pòſt Britanni ad ſui moris, & inſtituti prœlium, miſſilibus procul tranſigendum prodiere, quod duarum horarum fuit duas inter Claſſes dumtaxat, ſilentibus Regiis Caſtris; & diſpoſitis ad maritimas oras

Inculiſmæus fundit, & fugat Rupeculanos piratas.

oras ſtationibus: quidquid autem Rupeculanorum per hoſce omnes dies foras prodibat, extemplo ſtrangulabatur. Perduellibus autem Gallis, in Britannica Claſſe agentibus, animaduerſa Britannorum imbecillitate aduersùm Gallicas incomparabilis fortitudinis copias, & validiſſima Rupeculani Sinus Clauſtra, melioris fortunæ ſpes omnis pridem exciderat: eapropter, ſexto Calendas Nouembreis, collatis de ſumma rei capitibus, quòd ea vna ſpes ſibi eſſet reliqua, ad Regiam miſericordiam implorandam animos adiiciunt, atque in eam rem lectis quatuor de ſuo corpore, binos eorum Regiæ Claſſis Prætori obſides fidei tradunt, reliquos ad Cardinalem delegant. Apud eum Caduceatores, nec, argumentis ad

Perduelles Galli ex Britannica Classe adeunt ad Ludouicum supplices.

excuſandã Perduellionem, nec rationibus ad confirmandas preces, ſed ingenua, ac breui confeſſione noxię, ipſius humanitatem obteſtati ſunt, vti commeritas inexpiabili flagitio pœnas ipſis ab clementiſſimo Principe deprecaretur: quod facturum ſe recepit benigniſſimè, atque apud ſe tecto, & menſa prolixè accipiendos commendauit: ſed ſic aſſeruandos, vt mortalium nemo cum ipſis ageret: intereà ipſe, quam implorauerant veniam ab Rege, immeritis licèt, facilè impetrauit. Per hanc verò Britannicæ Claſſis ignauiſſimam ceſſationem, Rupeculani omnium mortalium infeliciſſimi, & ſceleratiſſimi, flagitioſæ Perduellionis conſcientia, fœdiſſima inedia, infinita deſperatione contabeſcebant, quorum in oculis

lis dena cadauerum millia, totidem ſexto ex menſe mortuorum ciuium, inſepulta iacebant, ſuperſtitum funebribus officiis imbecillitate prohibitis, totidémque aduersùm Magiſtratus edebantur teſtimonia atrociſſimæ in ſuos ciues crudelitatis: atque, ad eiuſmodi depellendas calamitates, quantum præſidij poſitum eſſet in fœderata illa Claſſe, proximorum prœliorum euentus miſeros manifeſtò docuerat. Quod reliquum igitur erat ſemianimorum hominum in illa omnis nequitiæ ſentina, extrema neceſſitate adactum cogitare aliquando cœpit., num expediret velle his calamitatibus eximi: quod dum animo verſat, tanta vis eſt obducti ſemel calli peruerſæ conſuetudinis, ſæpiùs ſibi vim facit, vt no-

Rupellanorum ingentes anguſtiæ.

De deditione cogitant Rupeculani, tamen inuiti.

lit, quod pridem, ac ſemper velle debuit, & ambigit, num ſatius ſit, vt vmquam nolit, Regio, iuſto, honorifico, fructuoſo, neceſſario ſubeſſe imperio: cui ſe vt tandem ſubiiceret, neceſsitatibus fracta eſt, non adducta rationibus voluntas. Sed, quod ab ſceleratiſſimis capitibus vltima omnium exprimebat neceſsitas, vt toties, & tam ſceleſtè violatam Regiam Maieſtatem ſupplices tentarent, id tota vrbe concionabundi Caluinianæ impietatis Præcones, pro eo ac decuit omnis legitimi principatus infenſiſsimos, & perpetuos hoſtes, prohibere omnibus neruis cōniſi sũt, vt cuius Perduellionis ſementem pridem fecerant, ſegetem aluerant, multiplicem meſſem legerant, eam in ſæcula ab ſe propagatam gloriarentur.

Deditionem diſſuadent Miniſtri.

Qui

Qui numquam pro ſanis egerant, quamdiu tam infames audierant magiſtros, nunc demum ſapere inſtituunt, quòd eorum dicto audientes eſſe deſinunt, & Courbevillæum proba fide internuncium apud Regem adhibent, quem improba nuper adhibuerant, cuius opera ſiſtuntur Regi, & ipſius iuſſu ad Cardinalem, ſuæ miſſionis expoſituri capita, deducuntur. Quinto Calendas Nouembreis, ſolidis tribus horis egerunt apud Cardinalem, poſtulatorum interpoſita longa ſerie, quæ alieniſſima cũ oſtẽdiſſet Cardinalis, ſuaſit ſe Regi omninò permitterent, cõditiones nullas nec ferrent, nec poſcerent, huiúſque planæ, ac ſimplicis deditionis ciuibus ſuis auctores fierent, hanc videlicet vnam eſſe rationem impetrandę *Caduceatores Rupeculani apud Cardinalem.*

veniæ. Tanta & Regis, & Cardinalis deliniti humanitate, quam ſibi planè immeritis adhibitam agnoſcerent, nihil erant tergiuerſaturi : ſed ad officium eos etiam permouit ampliùs ſociorum ex Britannica Claſſe exemplum, quos docuit Cardinalis pridie admiſſos ad poſtulandam, & exorandam ab Rege veniam, qui & ipſi coram prodeuntes dictis Cardinalis fidem fecere. Eodem die, vtrique ab Cardinale digreſſi, ad ſuos redeunt, in vrbem alij, alij Britannicam in Claſſem, vt, quod erant ſuaſi, cæteris omnibus ſuarum partium ſuaderent, omni ſublata conditionum mentione, ſe, ſuaque penitùs Regi permitterent, pluraque ex ipſius clementia ſperarent, quàm vllo ſuo iure, ſi quod eſſet, potuiſſent poſtulare.

Quarto

Quarto Calendas Nouembreis, cùm rediſſent ad Cardinalem, apud quem conuenerant, Ludouici iuſſu, de Proceribus Aulicis, & Caſtrenſibus Ducibus, viri Principes nonnulli, Perduellibus impertitæ ab optimo Principe veniæ formula in publicas tabulas eſt relata, quæ exſcripta, exſignatáque deinde in Vrbem, & Claſſem tranſmitteretur, Caduceatoribus Perduellium inſuper ad cœnam ab Cardinale inuitatis, qui fuit magnificæ benignitatis iucundiſſimus cumulus, & maximè aduersùm homines, peſſimè pridem habitos ab diræ inediæ incommodis. Tertio Calendas Nouembreis, Rupecularum oratores in vrbem redierant, ſuis ciuibus renunciaturi formulam impetratæ ab Rege veniæ, quam ratam haberet tota

Perſcripta venia Rupecu-lanis in-dulta.

ciuitas, & ratæ habitæ publicas tabulas è primoribus ciuium delecta manus ad Regem afferret, iterum poſtulatura noxarum gratiam, & nomine ciuitatis fidem interpoſitura ingenuæ, ac perpetuæ deinceps obſequentię. Ciues duodecim ad id muneris delecti, de quibus, nonnulli Regio fungebantur Magiſtratu, eodem die, ſub horam tertiam pomeridianam, prodiere versùs Ludouiceam Arcem, quibus excipiendis deſtinatus Baſſompetrius, frequenti Procerum ſtipatus caterua, eos in Regias ædes deduxit, vbi acceptos Cardinalis, & in conclaue introductos, Regi obtulit. Ad ipſas conclauis fores ſtatim procubuere in genua, vnde Goutréus, Regius apud Obſeſſos Aduocatus, Perduellis ciuitatis nomine ſupplicem

Caduceatores Rupeculani aduoluũtur Ludouici genibus.

cem

cem orationem habuit,qua professus est,Rupeculanos esse omnium mortalium scelestissimos, in suum Regem ingratissimos, eaq́uepropter venia indignissimos;eosdem tamen, exsecranda licèt flagitiorum colluuie contaminatissimos,infinita Christianissimi Regis humanitate fretos,non posse veniam desperare, quamquam nihil sibi reliqui fecerint , vnde eam exspectarent, qui eius fiducia sceleribus scelera cumularint : ad eamdem tamen, quæ toties, & tam impiè violata sit, confugere clementiam, eámque suppliciter obsecrare, ne pro eo reorum habitu, qui nunc sit,eis ipsa se adhibeat: sed ex eo, qui reuerà futurus sit, de ipsorum causa æstimandum censeat : sanctè asseuerare , se, quales iam esse instituerint , &

omni æuo ſint futuri, Regiæ Maieſtati addictiſsimos, & omnium obſequentiſsimos, id munus eiuſdem illi ſingulari clementiæ acceptum ferre, perpetuúmque laturos, vti, quæ ipſis hanc mentem, diuina quadam vi, adſpirarit, & affuderit: geſtis autem ſuis euicturos, vt fateatur perpetuò Princeps Optimus, ſicuti nulla olim exſtiterit ſceleratior Rupeculanorum contumacia, & perfidia; ſic tota Gallia, nullius populi ſanctiorem deinde fuiſſe fidem, & obſequentiam. Ad eas obſecrationes gratiæ, officiiíque pollicitationes, Ludouicus paucis verbis, ſed accommodatis ad ſupplicantium ingenia, retulit: optare ſe illis ab Numine hanc mentem, vt eorum tam officioſa verba, ſinceri pectoris ingenuus ſenſus expromſiſſet, non autem expreſ

expreſsiſſet ab maximè ſimulatis animis vltima neceſſitas:nam compertum ſe habere, malicioſiſſimos, & verſutiſſimos homines, nihil omninò machinarum, per ſummum nefas, non commouiſſe, vti Regiæ ditionis iugum ex ſuis ceruicibus excuterent:quoniam tamen aſſererent, noxarum ſe duci pœnitentia, omnium Perduellionum eis gratiam facere,hac lege,vti perpetua, ſinceráque præſtanda in Regem obedientia, & fide,Regis clementia ſe dignos præberent. Poſt hanc Ludouici reſponſionem,Herbautius,Regiorum Reſcriptorum Commentarienſis, condonatarum Perduellibus noxarum Regium diploma recitauit,quo ſingulatim excipiebantur capitales fraudes, quibus abſoluerentur, & beneficia,

Ludouicus Caduceatoribus reſpondet.

ficia, quibus, immeriti licèt, afficerentur, qua benignitate humanissimus Princeps, aduersùs omnium peruersissimum, & insolentissimum populum, sibi vtendum censuit, vt infinita beneficentia obrutum, si vel hac ratione posset, ad saniorem mentem pelliceret. Qui aliunde minùs perspectos habeat factiosæ libertatis dulcedine inebriatos, & Caluinianis placitis fascinatos animos, quantum virium in vtraque illa peste positum sit, ad ingenerandam eo veneno perfusis hominibus immanem insaniam, vel de hoc postremo Rupeculanorum Perduellium facto facilè possit condiscere. Quò eos pridem adigebat summa necessitas, & apud Cardinalem, ac Aulæ, Castrorúmque Proceres, palam professi erant, &, ad Re-

gis pedes abiecti, denuò confirmarant, nullis interpositis conditionibus, futuros se penitùs in Principis potestate, lubentésque subituros, quamcumque legem eis ipse diceret, atque, in iteratæ huius professionis verba, fuerat perscripta indultæ ipsis à Principe veniæ formula: iidem tamen Perduellium Caduceatores, quibus interpretibus omnia pacta conuenta intercesserant, post recitatam veniæ, ac deditionis formulam, oblato per Cardinalem pugillari, non sunt veriti ab Ludouico impudenter postulare, vti deincepș sibi perpetuò liceret, eosdem, quos anteà, suæ lectionis Magistratus creare, ac eisdem immunitatibus, & vacationibus viuere, quibus in eum diem vixissent. Vicena millia capitum in vrbe, non

Impudētia postulata Perduelliũ.

totis quindecim mēſibus, dira fames abſumſerat, demortuorum magnam partē inſepultam reliquerat viuentium peſsimè affecta valetudo, ſuperſtitum quina millia, & in his, duodecim illi paciſcendæ ciuibus veniæ internuncij, præ virium imbecillitate, veſtigiis inſiſtebant ægerrimè, laborioſiſsimè halitum ducebant, atque, ſi de numero demerentur ſæuiſsima fames, & deſperatio vltima, quibus vtique abundabant Perduelles, in omnium rerum ſumma erant inopia: ſic tamen vniuerſo robore defectis, etiamnum reſtabat animus ad reſtituendos Rupeculæ factioſos Magiſtratus, ad inſtaurandam ſui iuris Rempublicam, ad perpetuandam Rebellionem. Caſtrenſibus munitionibus contruſi intra mœnium ſuorum anguſtias,

gustias, post absumtam frumentariam, carnariamque annonam, quidquid equorum, canum, felium, murium vsquam deprehensum erat, quidquid agrestium herbarum, & radicum intra, & extra pomœrium velli potuerat, quidquid facti, infectique corij, recentiũ, veterũque pelliũ tota vrbe fuerat, auidis faucibus vorauerãt, insatiabili aluo confecerant, nihilque omninò sibi fecerant ad esum reliqui, quàm, vt luporum ritu, atrocissima vrgente inedia, mutuò se dentibus laniarent, & demortuorum aridis cadaueribus vescerentur, quo pabulo ab eorum plerisque sedatam famem esse constat: atque eò miseriarum delapsi cùm essent, suscitandæ tamen de integro Rupeculanæ ciuitatis, & factionis rationes meditabantur. *Rupeculanorum deterrima conditio.*

Guit

Guittonij Rupeculani insolens ingenium.

Guittonius certè, Vrbis Maior, agentibus apud Ludouicum Caduceatoribus, merum Regulum agebat Rupeculæ, &, quò minùs ipsi liceret præsenti coram esse apud Ludouicum, per internuncios cum fastu excusabat vetustum morem sui Magistratus, & Vrbis, ex cuius dignatione semper fuisset, vti Regibus, Rupeculam ineuntibus, se, non extra, sed intra pomœrium sisteret: intereà verò, ciuilium commodorum prouidentissimus, per Caduceatores vehementiùs contendebat, vt copiosa cibaria ex Castris in vrbem supportarentur priùs, quàm Regiis Legionibus daretur aditus, accepto scilicet commeatu, ex Hugonotico ingenio, & Caluiniana fide, Regiis stipendiis Rebellioni strenuè militaturus. Præcidit spem adeò

properæ ad eius mentem annonæ, Ludouici reſponſum, cùm, vrgentibus rem Caduceatoribus, cibariorum mentionem interponi vetuit, ante immiſſas phalanges ſuas in vrbem, & occupatas portas, ac regiones vrbis vniuerſas: ſed illa eſcarij ſubſidij, acerba licèt, deſtitutio, impotentiſsimam ambitionem, & arrogantiam ex contumaciſſimi hominis animo neutiquam eiecit, vt, qui etiam in dedita vrbe veterem dominatum ſtolidiſſimè affectarit, ac prætulerit. Nam, tertio Calendas Nouembreis, Caſtrenſibus Proceribus Regias Legiones in vrbem inducentibus, cùm, ſeptus Rupeculanorum primoribus, ſtaret ad Cognenſem portam, auſus etiam eſt, pro Magiſtratus iure, neſcio quid dicere, ac gerere, cuius ſup-
preſſó

presso sermone, homini stolido denunciauit Schombergius, ipsũ & titulo, & iure omni Magistratus excidisse, qua denunciatione nihilò moderatior factus, eodem ipso die, Rupeculam ineunti Richelieo Cardinali, senis apparitoribus stipatus, se ad consalutationem impudenter obtulit, atque, vel interposita capitis pœna, si quid posteà pro Vrbano Maiore gereret, aut loqueretur, vix adduci potuit, vt, decedens magistratu, exauctoratum se fateretur. Modestiùs autem transigendo, & in Castris, & in Vrbe, ciuitatis suæ negotio se adhibuere Rupeculani Caduceatores, vti publicæ salutis idoneos procuratores decuit, qui, accepto condonatæ publicæ, ac diuturnæ Perduellionis Regio diplomate, læti ad suos reuersi

sunt,

ſunt, apud quos ſingulis compitis eo evulgando, Miniſtellorum inſania concionibus pridem dementatum populum reuocarent aliquando ad ſanitatem, docerentque cum eo Principe negotium ipſi intercedere, qui vnus omnium quàm maximè noſſet, & refractarios vincere, & victis parcere. Eodem ipſo die, ſexta hora matutina, Inculiſmæus, Schombergius, Cureéus, Vignolius, Halierius, Marillacius, aliíque complures Duces, ac Dynaſtæ, patefacta Cognenſi porta, Beauliéi Caſtelli regione, Rupeculam iniere, cóque induxerunt Prætorianæ Legionis quatuordecim, & Helueticæ Phalangis ſex ordines, ipſius Ludouici peculiari delectu deſignatos, quibus, ex eadem lectione ordinandis, ad ima Caſtelli ſtabat

Regiæ Legiones Rupeculam armatæ ineunt.

bat Baſſompetrius,& ſtructo agmine prætereuntes,ipſe Ludouicus ex Caſtelli podio ſpectabat. Quî omnium Ducum oculos falleret, in vicenos armatorum Ordines vnus omninò miles irrepſerat, ſupra illum Regiæ lectionis peculiarem indicem, quem prætereuntem Ludouicus vnus iis luminibus mox deſignauit,quibus fraus nulla poſsit imponere, monitumque Baſſompetrium, quis, ac cuius Ordinis eſſet, ex agmine ſecernere iuſsit,atque reiicere. Quod aliis multis exemplis conſtiterat iampridem,luculento hoc experimento manifeſtiùs tanto approbatum, euictumque eſt,Ludouico, ſuos Milites,ac Duces, ſicut ex vultu, ita ex cuiuſque induſtria, & fortitudine apprimè perſpectos eſſe, qua ex no-

titia eum, ad illuſtria militaris rei facinora, lectionis idoneorum capitum prouinciam ſibi ſolere ſumere quàm feliciſsimè. Cùm ad portam vrbis ventum eſſet, Schombergius, iuſſo Guittonio, nuper Maiore Vrbano, claues portarum proferre, ac deinceps pro priuato ciue gerere, per præconem edicit, & capite ſancit, ex auctoritate Regia, ne quis omninò, cuiuſvis rei gratia, vllam deditæ vrbis ingrediatur domum, quoad, eius rei facta poteſtate, per Regem liceat. Eo pronunciato edicto, armatum præſidium Duces in vrbem inuexere, occupatiſque compitis, muris, turribus, propugnaculis, machinis, armis omnibus, Gallici nominis reliquum ex Rupeculanis Præſidiariis militem, ſexaginta omninò ſemimortuo-

rum

rum capitum, ac poſtridie, Britannorum nonaginta, ex vrbe eiecere:atque,hoc ipſo tempore, Subalpina,& Ramburéa Legiones Tadonium Caſtellum ſubvrbanum, trecentis ab Nicoleano vrbis propugnaculo paſsibus, armatæ ſubeuntes,Regiis auſpiciis cuſtodiendum ſibi ſumſerũt. Ludouicus,intereà dum Legionarij, ſuis quique Stationibus,in vrbe ſtatuuntur,exteriora mœnium inſpecturus, vrbem circumequitauit, Tadonium Caſtellum luſtrauit, cúmque cognouiſſet, vti omnia in vrbe haberent, ex eo Caſtello in Statiua Baïano Cornu propinqua, pranſum abiit: ſed Rupeculanis deſtinata, & ſummiſſa priùs denûm millium panum annona. Poſtridie illius diei, ſeu pridie Calendas Nouembreis,plus terna

na millia carrorum, & ingens numerus pecudum, Rupeculam, copiosissima annona cumularunt, eáque opportunissima, quòd annonarij propolæ cibaria nihilo auctioribus pretiis, eo die, ac deinceps, in vrbe, quàm pridie in Castris venalia habuere. Dedit porrò eodem die Ludouicus sua manu exaratas litteras ad Parisiorum Archiepiscopum, erga Numen grati animi plenissimas, & altissimè ipsius pectori impressæ pietatis testes locupletissimas in hæc verba. Meis ad matrē litteris, eam studiosè rogabam, vt vniuersos Regios Ministros felicium nunciorum faceret participes, & quidem abs te nominatim ducto initio, adhibenda gratiarum actione, cùm aduersùm te, tum erga Clerum Vrbis, ardentium precum nomi-

Annonā copiosam Ludouicus Rupeculæ summittit.

Ludouici litteræ ad Archiep. Paris.

ne,quas aſſiduas apud Deum fuderunt ad hunc diem, eius victoriæ impetrandæ gratia, quam mihi ſumma ipſius bonitas impertiuit. Vix tamen Sanſimonius Eques cum eis litteris profectus erat,cùm, nec contentus etiam Villaclerio impoſitis mandatis, vt tecum ſuper ea re meis verbis ageret, hanc inſuper epiſtolam ad eum deſtinaui, quam libuit mea manu ad te ſcribere, vt ea tibi teſtis eſſet, quónam tenùs Diuinæ Bonitati obſtrictum eſſe me ſentiam, & agnoſcam:atque vti eius beneficentiæ inſignem victoriam debeo, grates ipſi ex animo habeam, & agam. Cupio autem,vt ipſius infinitæ liberalitati eo nomine adhibeatur publica gratulatio, & per eos quidem ipſos, quorùm incenſus ardor pietatis num-

quam

quam remitti potuit, vel ea diuturnitate temporis, quæ me assiduis, & grauibus periculis expositum habuit. Hæc agendarum gratiarum prouincia tuæ procurationis, ac sollicitudinis fuerit in id temporis, quod tibi Regina, mater nostra, edixerit: quò etiam accedet, vt vniuersis Clericorum, & Religiosorum Familiis, & Collegiis disertè significes, meam hanc debellatorum hostium singulari Numinis ope confessionem: adiicies insuper, nequaquam mihi dubium esse, quin æquitati meæ causæ ipsorum adiunctæ preces, infinitam Dei benignitatem permouerint, vt exorari se beneficentissimè permitteret. Vale. *Ludouicus.*
Calendis Nouembribus, Beatæ Margaritæ sacra ædes, polluta nuper fortuitis aliquot ciuium

cædibus, ab Burdigalensi Archiepiscopo, sollemnibus cærimoniis resecrata,& in integrum restituta, eodem die faciendæ rei diuinæ omnium vrbanarum prima, post obsidionem, adhibita est ab ipso Richelieo Cardinale, quo sacris augustiùs operato, ad diuinum Christi epulum religiosissimè accubuere Gallici Cerarij Custos, atque Schombergius. In eo munere sacrificandæ Diuinæ Hostiæ, Cardinalem excepit Burdigalensis Archiepiscopus, quem subsecuti continenter sunt de Clero, & Religiosis Ordinibus plerique ad primam vsque pomeridianam horam, frequentibus de Aulica decuria,& Castrensibus proceribus Christianæ pietatis munera religiosè interim exsequentibus. Eius diei pomeridiano tempore,

Diuinæ rei faciēdæ initiū Rupeculæ.

Victor

Victor Ludouicus, multorum annorum perduellem Rupeculam, suis debellatam armis, nulla maiore pompa, quàm equo inuectus, & armatus, augustiore tamen verendus specie, iniit, antecedentibus eum quaternis Prætorianorum, binis Heluetiorum ordinibus, Leuibus item Equitibus, ac Canteriatis in equo Catapultariis, tum Regij corporis Stipatoribus. Hos subsequebatur infinitum Nobilitatis agmen, cui edicta erat lex, vt, quo loco, & ordine sors quemque statuisset, eo incederet, potioris, ac deterioris dignationis omisso, in præsentia, quouis discrimine: cuius legis seruandæ causa, quos inter de dignitate oboriri poterat contentio, eodem iuncti gradiebantur ordine, vti Comes Alesius, Comes Harcour-

Ludouicus Victor Rupeculam armatus init.

tius,& Marchio Neeléus. Vnius ordinis interuallo ſecreti ab Rege, tres inuehebantur, Inculiſmæus Dux medius, & cingentes eius latera Schombergius,& Baſſompetrius, Frãcicorum Caſtrorum Præfecti : inter Regem, & illos tres, Cardinalis Richeliéus,ſine conſorte ordinis,viam ſolitarius inibat : Cardinalem excipiebat Ludouicus,cuius terga claudebantur ingenti Nobilitatis cohorte.Rupeculanæ Perduellionis luculentiùs deteſtandæ, ac Regiæ humanitatis illuſtriùs declarandæ gratia,trecenti ciuium bini extra vrbem prodierant,prætérque foſſæ crepidinem,longo ordine,in genua prouoluti, prætereuntem Regem, fauſtis acclamationibus ſalutabant,ſeruatorem ſuum appellantes, eius prædicantes clementiam,

tiam, & manſuetudinem, cuius ſuauiſſima clientela tecti, nec leuiſſimo etiam verbo, tota vrbe, læſi eſſent, in tanta varietate militaris turbæ, atque lixarum multitudine. Semimortuam hãc turbam miſerantis habitu, ac vultu contuitus Ludouicus, ter blandiſſimè ſalutauit, ad vtraque nempe ordinati agminis capita, & ad eius mediam regionem, cuius ad ſingulas illicò ſalutationes, exundantibus lacrymis, ingens omnium ſublatus eſt vndique, mœrore ac gaudio cõfuſus, eiulatus, demirantium mitiſsimi Principis incomparabilem humanitatem, ſuámque ſimul deteſtantium aduersùs eum contumaciam, impietatem, & crudelitatem. Hac triumphantis ſplendida tranſuectione in vrbem delatus Ludouicus ad Bea-

tæ Margaritæ templum exſcenſionem ex equo fecit, Burdigalenſis Archiepiſcopi, cum frequente Clero infulati, breui, & appoſita exceptus gratulatione, ac deinde ad ſummam aram deductus, ea religione, quæ ſpectantium animos ad pietatem inflammaret, ſollemnem habendis, & agendis gratiis hymnum cum Clericis benefico Numini decantauit. Sub hoc quoque tempus, teſtificandæ apertiùs, & pleniùs cumulandæ publicæ lætitiæ, tum vrbis omnibus propugnaculis, ac podiis, tum Caſtrorum vniuerſis Caſtellis, ac ſuggeſtis, fauſto plauſu, ac magnifico tumultu, repetitis in orbem vicibus, & continente ſerie, omnia detonuere tormenta. Tam illuſtria, pia, fauſta publicæ lætitiæ, ac gratulationis argumenta

cele

celebris excepit concio, qua verius, quàm acriùs increparetur Rupeculanorum peruicacia; Regia fortitudo, pietas, clementia opportunè commendaretur: sed Diuina in primis Bonitas, & aperta in Ludouicum celebraretur Beneuolētia. Vt autē Diuini cuiusdam Consilij fuisse Rupeculanam expugnationem ostenderet Concionator, per admodum suspectam Medicis ægrotationem, decumbenti Ludouico apud Villamregiam, ardentius desiderium cælitùs iniectum significauit, obsidendæ, ac expugnandæ Rupeculæ, quibus diebus nihil alienius eiusmodi obsidionis cogitatione videretur. Quæ Concionatoris significatio eò spectabat, quod Ludouicus verbis, ac litteris perpetuò præse tulit, vt omnes, & Galliæ, &

Rupeculæ obsidio Diuini consilij opus fuit.

exterarum gentium populi, de capta Rupecula sic cogitarent, & censerent, Diuina in primis ope impugnatam, Diuina virtute debellatam, vti, oppressa Rebellium arce, vniuersæ Galliæ certa pax, & quæ paci, optimíque Principis imperio comitantur, Diuini cultus integritas redderetur. Neque religiosissimo, Diuiníque honoris studiosissimo Principi Ludouico satis ad pietatem fuit, de obruta Rebellione, ac impietate tam celebria trophæa erexisse Rupeculæ, nisi & illustri maximè pompa sollemnem Christi Corporis transuectionem tota vrbe instituerer, in quod mysterium Nouati Euangelij Præcones sæuissimè debacchari solerent, & horrenda conuicia ore sacrilego euomere. Fuit tertio Nonas Nouembreis illud

Diuinæ Hostiæ circumuectio tota Rupecula.

illud ſupplicantium agmen, & hominum incredibili multitudine celeberrimum, & conditione illuſtriſsimum, & ordinatiſſimum compoſitione, & ornatu ſplendidiſsimum, & auguſtiſsimum dignitate, & religione ſanctiſsimum, & pia alacritate hilariſsimum, qui affectus religioſæ hilaritatis etiam in Caluinianos ciues transfunderetur, abreptos in admirationem auguſta maieſtate, & ſanctitate veneranda Catholicarum cærimoniarum, quarum interiore quodam ſenſu, vel inuiti, blandiùs eorum animi delinirentur. Iuſsi fuerant ciues tota vrbe omnium vicorum parietes eleganti textorum ornatu conueſtire, quod ad officium velut coacti primùm adducebantur, ſenſim tamen eò deuenere, ſiue cælitùs religione

contacti, siue sua studia probaturi Ludouico, vt quidquid pretiosæ, ac splendidæ vestis stragulæ, quidquid tabularum, & signorum haberent, ad cohonestandam pompam effunderent, vt eo parietum instructu nihil luculentius, nihil augustius spectari potuerit. In ea scilicet vrbe, vnde tamdiu exsularat, vbi tam atrocibus contumeliis inustus, adeò infandis sacrilegiis violatus, plurimos annos fuerat, Deus, Optimus, Maximus triũphum sibi eo die de sacrilega impietate destinarat, pérque triumphalis eius lætitiæ varios in animis spectantium motus, sibi sumserat demulcendos Hæreticos ad Catholici ritus comprobandas, & sensim adamandas cærimonias. Quibus cælesti quadam fraude illaqueandis, nulla,

nec

nec ſuauior, nec potentior occurrere potuit illecebra, Ludouici exquiſitiſſima, & omnibus ſpectatoribus iucundiſſima pietate, qua, vel ſemel obſeruata, è Rupeculanis Proceribus nonnulli mox, vi quadam occulta, ſunt adacti ad eiurandum Caluiniſmum. Poſt illam, & religioſiſſimam, & celeberrimam Diuinæ Hoſtiæ circumuectionem, Ludouico, cuius incenſis in cohoneſtando Numine ſtudiis nihil vmquam poteſt ſufficere, venit in mentem inſtituere publicam quadragenarum horarum comprecationem, Deo in præterita beneficia venerando, & conciliando in futura, cuius orationis eodem tertio Nonarum Nouembrium celebres initi cœtus, octauo Iduum deſierunt. Quoad Aulicorum, Caſtrenſiumque

rum capitum, ac poſtridie, Britannorum nonaginta, ex vrbe eiecere: atque, hoc ipſo tempore, Subalpina, & Ramburéa Legiones Tadonium Caſtellum ſubvrbanum, trecentis ab Nicoleano vrbis propugnaculo paſsibus, armatæ ſubeuntes, Regiis auſpiciis cuſtodiendum ſibi ſumſerũt. Ludouicus, intereà dum Legionarij, ſuis quique Stationibus, in vrbe ſtatuuntur, exteriora mœnium inſpecturus, vrbem circumequitauit, Tadonium Caſtellum luſtrauit, cúmque cognouiſſet, vti omnia in vrbe haberent, ex eo Caſtello in Statiua Baïano Cornu propinqua, pranſum abiit: ſed Rupeculanis deſtinata, & ſummiſſa priùs denûm millium panum annona. Poſtridie illius diei, ſeu pridie Calendas Nouembreis, plus terna

na millia carrorum, & ingens numerus pecudum, Rupeculam, copiosissima annona cumularunt, eáque opportunissima, quòd annonarij propolæ cibaria nihilo auctioribus pretiis, eo die, ac deinceps, in vrbe, quàm pridie in Castris venalia habuere. Dedit porrò eodem die Ludouicus sua manu exaratas litteras ad Parisiorum Archiepiscopum, erga Numen grati animi plenissimas, & altissimè ipsius pectori impressæ pietatis testes locupletissimas in hæc verba. Meis ad matrē litteris, eam studiosè rogabam, vt vniuersos Regios Ministros felicium nunciorum faceret participes, & quidem abs te nominatim ducto initio, adhibenda gratiarum actione, cùm aduersùm te, tum erga Clerum Vrbis, ardentium precum nomi-

Annonā copiosam Ludouicus Rupeculæ summittit.

Ludouici litteræ ad Archiep. Paris.

ne,quas aſſiduas apud Deum fuderunt ad hunc diem, eius victoriæ impetrandæ gratia, quam mihi ſumma ipſius bonitas impertiuit. Vix tamen Sanſimonius Eques cum eis litteris profectus erat,cùm, nec contentus etiam Villaclerio impoſitis mandatis, vt tecum ſuper ea re meis verbis ageret, hanc inſuper epiſtolam ad eum deſtinaui, quam libuit mea manu ad te ſcribere, vt ea tibi teſtis eſſet, quónam tenùs Diuinæ Bonitati obſtrictum eſſe me ſentiam, & agnoſcam:atque vti eius beneficentiæ inſignem victoriam debeo, grates ipſi ex animo habeam, & agam. Cupio autem,vt ipſius infinitæ liberalitati eo nomine adhibeatur publica gratulatio, & per eos quidem ipſos, quorùm incenſus ardor pietatis num-

quam remitti potuit, vel ea diuturnitate temporis, quæ me assiduis, & grauibus periculis expositum habuit. Hæc agendarum gratiarum prouincia tuæ procurationis, ac sollicitudinis fuerit in id temporis, quod tibi Regina, mater nostra, edixerit: quò etiam accedet, vt vniuersis Clericorum, & Religiosorum Familiis, & Collegiis disertè significes, meam hanc debellatorum hostium singulari Numinis ope confessionem: adiicies insuper, nequaquam mihi dubium esse, quin æquitati meæ causæ ipsorum adiunctæ preces, infinitam Dei benignitatem permouerint, vt exorari se beneficentissimè permitteret. Vale. *Ludouicus.*
Calendis Nouembribus, Beatæ Margaritæ sacra ædes, polluta nuper fortuitis aliquot ciuium

cædibus, ab Burdigalensi Archiepiscopo, sollemnibus cærimoniis resecrata, & in integrum restituta, eodem die faciendæ rei diuinæ omnium vrbanarum prima, post obsidionem, adhibita est ab ipso Richelieo Cardinale, quo sacris augustiùs operato, ad diuinum Christi epulum religiosissimè accubuere Gallici Cerarij Custos, atque Schombergius. In eo munere sacrificandæ Diuinæ Hostiæ, Cardinalem excepit Burdigalensis Archiepiscopus, quem subsecuti continenter sunt de Clero, & Religiosis Ordinibus plerique ad primam vsque pomeridianam horam, frequentibus de Aulica decuria, & Castrensibus proceribus Christianæ pietatis munera religiosè interim exsequentibus. Eius diei pomeridiano tempore,

Diuinæ rei faciē-dæ initiū Rupeculæ.

Victor

Victor Ludouicus, multorum annorum perduellem Rupeculam, suis debellatam armis, nulla maiore pompa, quàm equo inuectus, & armatus, augustiore tamen verendus specie, iniit, antecedentibus eum quaternis Praetorianorum, binis Heluetiorum ordinibus, Leuibus item Equitibus, ac Canteriatis in equo Catapultariis, tum Regij corporis Stipatoribus. Hos subsequebatur infinitum Nobilitatis agmen, cui edicta erat lex, vt, quo loco, & ordine sors quemque statuisset, eo incederet, potioris, ac deterioris dignationis omisso, in praesentia, quouis discrimine: cuius legis seruandae causa, quos inter de dignitate oboriri poterat contentio, eodem iuncti gradiebantur ordine, vti Comes Alesius, Comes Harcour- *Ludouicus Victor Rupeculam armatus inijt.*

tius,& Marchio Neeléus. Vnius ordinis interuallo ſecreti ab Rege, tres inuehebantur, Inculiſmæus Dux medius, & cingentes eius latera Schombergius,& Baſſompetrius, Frácicorum Caſtrorum Præfecti: inter Regem, & illos tres, Cardinalis Richeliéus,ſine conſorte ordinis,viam ſolitarius inibat: Cardinalem excipiebat Ludouicus,cuius terga claudebantur ingenti Nobilitatis cohorte.Rupeculanæ Perduellionis luculentiùs deteſtandæ, ac Regiæ humanitatis illuſtriùs declarandæ gratia,trecenti ciuium bini extra vrbem prodierant,prætérque foſſæ crepidinem,longo ordine,in genua prouoluti, prætereuntem Regem, fauſtis acclamationibus ſalutabant,ſeruatorem ſuum appellantes, eius prædicantes clementiam,

tiam, & manſuetudinem, cuius ſuauiſſima clientela tecti, nec leuiſſimo etiam verbo, tota vrbe, læſi eſſent, in tanta varietate militaris turbæ, atque lixarum multitudine. Semimortuam hãc turbam miſerantis habitu, ac vultu contuitus Ludouicus, ter blandiſſimè ſalutauit, ad vtraque nempe ordinati agminis capita, & ad eius mediam regionem, cuius ad ſingulas illicò ſalutationes, exundantibus lacrymis, ingens omnium ſublatus eſt vndique, mœrore ac gaudio cõfuſus, eiulatus, demirantium mitiſsimi Principis incomparabilem humanitatem, ſuámque ſimul deteſtantium aduersùs eum contumaciam, impietatem, & crudelitatem. Hac triumphantis ſplendida tranſuectione in vrbem delatus Ludouicus ad Bea-

tæ Margaritæ templum exſcenſionem ex equo fecit, Burdigalenſis Archiepiſcopi, cum frequente Clero infulati, breui, & appoſita exceptus gratulatione, ac deinde ad ſummam aram deductus, ea religione, quæ ſpectantium animos ad pietatem inflammaret, ſollemnem habendis, & agendis gratiis hymnum cum Clericis benefico Numini decantauit. Sub hoc quoque tempus, teſtificandæ apertiùs, & pleniùs cumulandæ publicæ lætitiæ, tum vrbis omnibus propugnaculis, ac podiis, tum Caſtrorum vniuerſis Caſtellis, ac ſuggeſtis, fauſto plauſu, ac magnifico tumultu, repetitis in orbem vicibus, & continente ſerie, omnia detonuere tormenta. Tam illuſtria, pia, fauſta publicæ lætitiæ, ac gratulationis argumenta

celebris excepit concio, qua veriùs, quàm acriùs increparetur Rupeculanorum peruicacia; Regia fortitudo, pietas, clementia opportunè commendaretur: sed Diuina in primis Bonitas, & aperta in Ludouicum celebraretur Beneuolẽtia. Vt autẽ Diuini cuiusdam Consilij fuisse Rupeculanam expugnationem ostenderet Concionator, per admodum suspectam Medicis ægrotationem, decumbenti Ludouico apud Villamregiam, ardentius desiderium cælitùs iniectum significauit, obsidendæ, ac expugnandæ Rupeculæ, quibus diebus nihil alienius eiusmodi obsidionis cogitatione videretur. Quæ Concionatoris significatio eò spectabat, quod Ludouicus verbis, ac litteris perpetuò præ se tulit, vt omnes, & Galliæ, &

Rupeculæ obsidio Diuini consilij opus fuit.

exterarum gentium populi, de capta Rupecula ſic cogitarent, & cenſerent, Diuina in primis ope impugnatam, Diuina virtute debellatam, vti, oppreſſa Rebellium arce, vniuerſæ Galliæ certa pax, & quæ paci, optimíque Principis imperio comitantur, Diuini cultus integritas redderetur. Neque religioſiſsimo, Diuiníque honoris ſtudioſiſsimo Principi Ludouico ſatis ad pietatem fuit, de obruta Rebellione, ac impietate tam celebria trophæa erexiſſe Rupeculæ, niſi & illuſtri maximè pompa ſollemnem Chriſti Corporis tranſuectionem tota vrbe inſtitueret, in quod myſterium Nouati Euangelij Præcones ſæuiſsimè debacchari ſolerent, & horrenda conuicia ore ſacrilego euomere. Fuit tertio Nonas Nouembreis illud

Diuinæ Hoſtiæ circumuectio tota Rupecula.

illud ſupplicantium agmen, & hominum incredibili multitudine celeberrimum,& conditione illuſtriſsimum, & ordinatiſſimum compoſitione, & ornatu ſplendidiſsimum, & auguſtiſsimum dignitate,& religione ſanctiſsimum,& pia alacritate hilariſsimum, qui affectus religioſæ hilaritatis etiam in Caluinianos ciues transfunderetur, abreptos in admirationem auguſta maieſtate, & ſanctitate veneranda Catholicarum cærimoniarum, quarum interiore quodam ſenſu, vel inuiti, blandiùs eorum animi delinirentur. Iuſsi fuerant ciues tota vrbe omnium vicorum parietes eleganti textorum ornatu conueſtire, quod ad officium velut coacti primùm adducebantur,ſenſim tamen eò deuenere, ſiue cælitùs religione

contacti, siue sua studia probaturi Ludouico, vt quidquid pretiosæ, ac splendidæ vestis stragulæ, quidquid tabularum, & signorum haberent, ad cohonestandam pompam effunderent, vt eo parietum instructu nihil luculentius, nihil augustius spectari potuerit. In ea scilicet vrbe, vnde tamdiu exsularat, vbi tam atrocibus contumeliis inustus, adeò infandis sacrilegiis violatus, plurimos annos fuerat, Deus, Optimus, Maximus triũphum sibi eo die de sacrilega impietate destinarat, pérque triumphalis eius lætitiæ varios in animis spectantium motus, sibi sumserat demulcendos Hæreticos ad Catholici ritus comprobandas, & sensim adamandas cærimonias. Quibus cælesti quadam fraude illaqueandis, nulla,
nec

nec ſuauior, nec potentior occurrere potuit illecebra, Ludouici exquiſitiſſima, & omnibus ſpectatoribus iucundiſſima pietate, qua, vel ſemel obſeruata, è Rupeculanis Proceribus nonnulli mox, vi quadam occulta, ſunt adacti ad eiurandum Caluiniſmum. Poſt illam, & religioſiſſimam, & celeberrimam Diuinæ Hoſtiæ circumuectionem, Ludouico, cuius incenſis in cohoneſtando Numine ſtudiis nihil vmquam poteſt ſufficere, venit in mentem inſtituere publicam quadragenarum horarum comprecationem, Deo in præterita beneficia venerando, & conciliando in futura, cuius orationis eodem tertio Nonarum Nouembrium celebres initi cœtus, octauo Iduum deſierunt. Quoad Aulicorum, Caſtrenſiumque

virorum

virorum ingens illa multitudo, aſſiduè ſacris operata, iucundiſſima Rupeculę Statiua habuit, qui eius ſanctiſſimis exemplis ad inſtituendos mores inſigniter proficere poterant, tamdiu Seditioſorum nobilia illa capita, Guittonius, Godefredus Salebertius Miniſter, & Serbienſius, permiſſi ſunt eſſe Rupeculæ: ſed vbi conſtitit, nihilo factos eſſe nec probiores, nec modeſtiores, interpoſita pœna, ſi redirent, iuſſi ſunt vrbe decedere.

Rupecula exacti ſeditioſi ciuium.

VIII Hactenus mihi videor, quæ de obſidione, ac deditione vrbis Rupeculæ ſcribi oportuit, copioſè ſatis, & explicatè ſcripſiſſe, atque, inter cætera, diſertè oſtendiſſe, quibus tandem machinis expugnata ſit illa toto pænè orbe nota Rupecula, quam in hunc diem vniuerſa Europa cenſuit

ſuit inexpugnabilem. Quo de genere machinarum, tametſi non vereor, ne, aut negligentia, aut memoria lapſum me præterierit quidpiam: nihilò tamen minùs, iure me facturum cenſeo, ſi hunc maximè locum mihi ſumſero, in quo priuatim, ac ſeorſum exponam, quibus propriè armis Ludouicus Rupeculam, fuſo, & fugato ſæpiùs Britanno, debellarit: Quod vt explicem, fatebor equidem, non poſſe me negare, quin Caſtrorum terreſtres illæ munitiones, & maritimi Sinus multiplicia, ac præualida clauſtra, maximum momentum habuerint ad infringendas, & expugnandas ingentes Perduellium vires, accedente ad eiuſmodi machinas generoſiſſimo exercitu: ſed aio, interceſſiſſe præterea genus quoddam armo-

rum

rum aliud, quod ſi ab Ludouico abeſſet, irritæ penitùs cederent omnes illæ, ſeu machinæ, ſeu copiæ. Ludouicum itaque aſſero, ſedula cura ſtipendiorum, exquiſita diſciplina caſtrenſi, & ſua præſentia, ſuóque ductu, in primis, ac propriè, debellatorum Perduellium gloriam, & fructum tuliſſe, vix vmquam laturum, ſi ex tribus hiſce victoriæ inſtrumentis vnum aliquod Rupeculam obſidenti defuiſſet.

Ludouicus quibus præcipuè armis Rupeculam expugnarit.

Quanti ponderis ſit, ad rei bellicæ rationem, ſtipendiariæ procurationis, vel diligentia, vel negligentia, documento ſunt quotquot, ſeu vtiles, ſeu inutiles exercitus habuit Gallia, tum noſtra, tum patrum memoria. Enimverò, ſiue domi, ſiue foris bella geſſimus, quoad ſuus fuit locus legitimis ſtipendiis, obſequentiſſimo,

Stipendiaria ratio quāti ponderis.

mo, & vtiliſſimo milite vſi ſumus; quamdiu verò contra ius, ſuo ære ſunt diruti milites, pænè imbellibus, & raris copiis depugnauimus. Nimirum eſt neceſſe, ſtipendiis deſtitutum militem, dura anni tempeſtate, item difficili, aut nulla in agris annona, ſub ſignis infrequentem eſſe, fugacem demum euadere, imbecillum, ac proinde ignauum, ad pugnam procedere: quo imbellis, & infrequentis exercitus vitio, Franciſcus Primus, apud Inſubres, maxima ducum culpa, nec minore infamia, præter ſuam opinionem, ad vltima deductus eſt. Huic malo prouidentiſſimè occurrit Ludouicus, ſub ipſa ſtatim obſidionis initia, Legionum Tribunis, ac Centurionibus ſummouendis ab veteri cura diſtribuendi militibus ſtipendij,

pendij, & eorum vice creandis compertæ probitatis Diuiſoribus, cuique Legioni propriis, qui ex fide numerarent ſtipendium, ac militum cuilibet in manus traderent. Qua Diuiſorum fideli opera, *ſuppoſititio in diem milite*, ſupplendorum, per ſtipendiarias recenſiones Ordinum, vetus illa corruptela è Caſtris funditùs ablegata eſt, ac legitimus militum numerus quibuſque Legionibus, atque Manipulis eſt vtiliſſimè redditus. Ad iſtam prætereà ſtipendiariam procurationem, adiecit Ludouicus & aliud triplex ſtudium, Caſtrenſibus copiis opportuniſſimum, ac ſaluberrimum, copioſæ ſcilicet annonæ, frequentium hibernaculorũ, & idonei veſtiarij, qua ex cautione factum eſt, vt, quauis anni tempeſtate, ad quæ-

Paſſevolant.

uis

uis bellica munia, commodo commeatu, tecto, amictu, miles perpetuò vteretur. Hac prouiſione adhibita ſapientiſſimus Imperator, vegetum, valentem, lætum, alacrem, promtum ad omnia imperia, tota obſidione, pugnatorem habuit, ſed aduerſùs ſuum Ducem mirificè in primis animatum: quo genere militis, vt nihil eſt, quod à perito, & forti Imperatore perfici nequeat; ita Ludouicus hoc ſuæ diſciplinæ bellatore potuit, quod alius quiuis, alio vſus milite, auſus non ſit cogitare. Sed, vti fides ſtipendiorum, laxitas annonæ, veſtiarius inſtructus, tecti opportunitas, cùm eis acceſſerit militaris diſciplina, bellicæ rei adminiſtrandæ maxima ſufficient adiumenta: ſic ex eiſdem militaribus commodis in eos exercitus

gra

grauissima detrimenta inuehentur, quos, vti pinguiore saginæ ferocientes equos, intra gyrum rationis nòn coëgerit Castrensium legum interposita seueritas. Sancitis igitur idonea pœna legibus, toto Castrorum ambitu, & eorum vicinia vniuersa, mulierem, deiurium, compotationem, obscœnum sermonem, aleam, otium, ac cæteram omnem vitiorum illecebram, Ludouicus longissimè arcuit: promouendæ verò Christianæ pietatis quotidiana argumenta frequentissimis locis induxit, & alendæ militaris industriæ perpetuas exercitationes instituit. Quarum legum tametsi sua sponte probatura fuerat sanctitatem, & Ludouici eximia in suos auctoritas, & summa militis erga Imperatorem caritas; ingentem

Castrēsis disciplina sedula quanti momenti,

gentem

gentem certè ſuper hæc veneratione m eis conciliauit ipſius Legiſlatoris, dictas exercitui leges religioſiſſimè obſeruantis, exemplum. Enimverò, vt nullius ab Imperatore intercederet edicti ſignificatio, tamen exquiſita illa, in omnium oculis emicante, morum ſanctitate, cuiuſvis Chriſtianæ virtutis maximè voluntariam diſciplinam militaribus hominibus ipſe imponeret: & ita reapſe imponebat, vt, totis quindecim aſſiduæ obſidionis menſibus, nullum petulans neque dictum, neque factum, in numeroſiſſimo exercitu fuerit obſeruatum. Sed neque hac vna laude, vti nihil peccarent, toto eo tempore, Caſtrenſes copiæ Ludouico, & ſibi, ſatis eſſe putarunt, niſi & aliud illuſtrius longè decus adiicerent, vt quoad

per militaria munia liceret, religiosis erga Numen officiis perpetuò occuparentur, & ea quidem significatione pietatis, vt Statiua Castra in sacrum gymnasium Christianę virtutis transisse viderentur. Qua ex officina religiosarum actionum, cùm militem, Diuinis egregiè operatum, bellica deinde munera reciperent, fiebat, vt alacritatem, vires, industriam longè maiorem ex ea cælesti disciplina collegisse videretur, adeò illustriora prœliorum edebat facinora, tantóque feliciore semper exitu. Vacantem verò suum pugnatorem ab religiosis, & prœliaribus functionibus, numquam patiebatur Ludouicus languere inertia: sed, vel illecebra honestæ mercedis, munitionibus promouendis occupatum habebat,

vel cumulatiùs crudiẽdum bellicis, exercendo omni armorum genere, negotioſum attinebat. Atque, non modò, vti militarium munium ſtudioſus, ad eiuſmodi exercitationes Legionariorum acuebat animos, & induſtriam: ſed, vt earum omnium eximius magiſter, exemplo, & diſciplina vniuerſis prælucebat, qua eius ſingulari ſcientia, & mirificè oblectabatur miles, & eius inflammabatur ſtudio, & imitatione proficiebat ſupra modum. Frequentiſsimè animaduerſus eſt Ludouicus, cùm vel pedes hoplomachus, vel eques cataphractus, procederet in arenam ad obeunda cuiuſvis prœlij ſimulacra, &, vel ipſa venuſtatis ſimul, ac maieſtatis pleniſsima ſpecie raperet ſpectantium in ſe oculos, recrearétque animos mirificè

Imperator militari exercitatione tradenda quantum efficiat.

rificè, quæ voluptas tantò euadebat maior, quando ipse vnum aliquem de fortissimis, & peritissimis bellatoribus sibi nominatim deposceret, quicum singulari confligeret certamine. Sarissam nemo librabat valentiùs, Heluecticam securim nemo vibrabat robustiùs, ensem nemo validiùs intentabat, & hæc vniuersa ipse omnibus cæteris expeditiùs, elegantiùs, eruditiùs circumagebat, atque in omni eius motu ea elucebat totius corporis venustas, ac dignitas, is oculorum, & omnis oris vigor, ea alacritas emicabat, quæ olim Africani Maioris in prœlio hostem simul terrore percelleret, simul tanti Ducis veneratione perfunderet. Sin hasta, vel acinace, vel stlopo instructus, equum admitteret in aduersa-

rium,

rium, fulminis impetu delatum arbitrarere, ac terram ſub pedibus quateſieri:eum autem deſtinato ictu numquam aberrare, ac eas petitiones inferre deprehenderes, quæ validiſſimum quemque concuterent: ac ipſe cùm appeteretur, ſic in equo perſtare cernebatur, quaſi validiſſimè affixus, ac, veluti Centaurorum aliquis, ex equite, & equo vnus bellator conflatus putaretur. Quibus ex pugnarum ludicris, cùm militi conſtaret, ſe illius Imperatoris merere auſpiciis, atque ductu, qui, & fortiſſimus eſſet, & omnis bellicæ rei experientiſſimus, quid non armis auſurus foret? quid non bello perfecturus exercitus, eo Duce, cuius exquiſita diſciplina militari apprimè prodiret imbutus? Aſſidua porrò ſua præſentia in

Castris, perpetuóque ductu in prœliis, quid perpetrare armis potuerit, quid reuerà perpetrarit, vt aliunde non constaret, facilè tamen sit ei coniectare, cui perspecta fuerit eius in ducendo exercitu peritia, in vincendo felicitas. Nam de Imperatorij ductus præclaris illis, ac summis omnium partibus si agitur, quæ positæ sunt in omnis generis armorum, & machinariæ rei eximia intelligentia, & vsu, in struēdæ, muniendæque aciei exquisita scientia, in capiendorum ad castra, & pugnas locorum singulari perspicacitate, ac sollertia, in concilianda, & fouenda exercitus erga se perpetua beneuolentia, & veneratione, Ludouicus omnes sui temporis Duces facilè superat, antiquorum fortè cedit nemini. Primo certè coniectu

Imperator suo ipsius ductu quantum præstet.

ictu oculorum, quod eius fuerit quibuſlibet de armis, munitionibus, machinis, iudicium, peritiſſimorum quorumque, poſt experientiam, ea conſequi ſolet approbatio, vt numquam alucinatus deprehendatur. Omnes omnium ſolorum ita cognitas habet fodinas, & quarumvis regionum perſpectas officinas, vt, primo aſpectu, quæ ſit cuiuſque gladij; catapultæ, tormenti, atque ſingulorum inſtructus, vel probitas, vel improbitas, derepentè, atque citra errorem, pronunciet. Auditus eſt aliquando certos Legionum Tribunos admonere, leuiter coniectis in eorum inſtrumentum militare luminibus, omnem certæ Legionis vitioſam eſſe armaturam, eius futurum benè paucorum dierum vſum, ac planè inutilem, cuius

dicto cùm periti armorum fidem ægrè adiungerent, quem tamen denunciarat, is ipsius sententiam certò confirmauit exitus. Cuius exquisitæ intelligentiæ celebri fama id est consecutus Ludouicus, vt, ad quos, ex ratione officij, pertinet armorum, machinarum, munitionum cautio, eius vereantur perspicientiam oculorum, & censuram, eáque contineantur in recta muneris administratione. Instruendæ autem aciei, ac idoneis firmandæ subsidiis, pro loci, & temporis natura, pro copiarum modo, ac genere, tam opportunas, tam varias, tam expeditas, & perspectas habet rationes, vt in hanc diem stupori, ac miraculo fuerit vetustissimis, & experientissimis quibusque Ducum vniuersæ Galliæ. Atque, tametsi terrestrium exer-

cituum ducendorum vſum habere cœperit ab ipſa pueritia, ſed,non item maritimi,tamen ſimul atque occœpit eius imperium apud Rupeculam, ex claſſiaria diſciplina rectiſſimè illius ordinandi eam meritiſſimo iure adeptus eſt gloriam,quæ in exercitatiſſimum Claſsis Prætorem propriè quadraret. Quid deſignandis, exſtruendíſque munitionum operibus, quid ſtatuendis machinariis podiis,ac ſuggeſtibus, quid librandis ſua quodque ſtatione tormentis,ad vehementes, & idoneas emiſsiones, ex ingenita,& ſtudiosè meditata ad vniuerſam rem bellicam facultate poſsit, quid efficere ſoleat,notius tota Gallia eſt,quàm vt neceſſe ſit fuſiùs explicare. Quibus Imperatoriis dotibus,& infinita inſuper caritate in ſuos,

Ludouicus Imperatoriis omnibus dotibus praeclarus.

atque præcellenti morum sanctitate, facillimè, seu necessariò potiùs est consecutus Ludouicus, vt sicuti fuit semper in summo amore totius Galliæ, ita in omnium Ducum, & militum oculis feratur: atque hisce omnibus virtutibus breuissimè in summum Magisterium, fortunatissimè ducendi exercitus, euasit. Quem administrandæ rei bellicæ suo ductu principatum, quibus argumentis euicimus in vnum maximè conuenire Ludouicum, eisdem, vna opera, clarissimè ostendimus, quibus propriè armis Ludouicus Britannum fregerit, Cracinam seruarit, Rebelles profligarit, Rupeculam, opinione hominum inexpugnabilem arcem illam, in ipsis auxiliariæ classis Britannicæ oculis, expugnarit. Quin igitur præcellenti

lentibus hiſce artibus Imperatoriis Hugonoticæ Rebellionis, contumaces licèt,reliquias tota Gallia,exiguo negotio, debellaturus ſit, vniuerſis eorum expugnatis arcibus, nemini dubium videri poterit, cui Rupeculanarum munitionum fuit explorata ratio.Cuius vrbis,ſexaginta ipſos annos vniuerſarum in Gallia Rebellionum principis, atque inſuper ſexcentarum perduellionum reæ,Britanno, ac cæteris coniuratis nequidquam obnitentibus, ad extremum expugnatæ, infinitam contumaciam, apud poſteros,perpetuò damnatam, & multatã eſſe voluit Victor ſuo ductu Ludouicus, ſubrutis vſque ab imis fundamentis eius mœnibus, & triplicibus foſſis mœnium ruina complanatis, veteris formulæ abrogatis

Magiſtratibus , liberæ ciuitatis obliterato nomine , ac iure , ac Regij beneficij abolitis omnibus immunitatibus. Atque , vti exſcindendæ Lernes huius iniectos ſibi diuinitùs animos,& collatas vires,ſuo ſæculo,ac futuris, beneficij memor,teſtaretur Pius æquè,ac Iuſtus Ludouicus , inſignem è marmore Crucem erigendam locauit , in ſubiecta veteris vrbis caſtro,& patente area, cuius Crucis amplo ſtylobatæ inſcribatur aurea epigraphe debellatæ Numinis beneficio Rupeculæ. Idem etiam , & eadem ex cauſa decreuit , vt , ad Corellianum Cornu , ſupra valuas ſacræ Patrum Minimorum ædis, duabus hinc & inde tabulis æneis incidatur programma exſtructæ ſaxeæ Molis , & ſtatutæ Claſſis ad Rupeculani Sinus Oſtia , prohibendis aditu,ac exi-

tu

tu hostibus, & diuina ope prohibitis.

IX Cæterùm, qui ad cuiuslibet Regiæ laudis sublime culmen destinato pridem Ludouico, tam illustrium bellicæ virtutis facinorum hortator, & auctor ipse per se fuit, Deus, Optimus, Maximus, suæ prætereà mentis assiduum internuncium, ac fidelem interpretem eiusdem Ludouici auribus admouit, quo consiliario, & adiutore vteretur, ingentibus rebus bello, ac pace gerendis, Illustrissimum Cardinalem Richeliéum, summo Galliæ bono natum, ac maximè anxiis Regni negotiis, perquàm feliciter expediendis, in hanc Regiam cælo missum opportunissimè. Eum in Pictonibus peranti-qua, & peræquè nobili Plessisia Richeliéa gente ortum, maio-

Richeliéus Cardin. quãtum contulerit expugnãda Rupecula.

Cardinalis maiores.

rum clarissimis, adeóque etiam Regiæ stirpis affinitatibus perillustrem, auorum ingentibus bello gestis rebus, & maximis Præfecturarum gloriosè obitis perinsignem, superioris sæculi anno vndenonagesimo nono in lucem editum, singulari florentem indole, vniuersa mox suspexit cognatio, & vicinia, atque ad omnia summa designanda, perpetrandáque diuinitùs comparatum præsagiit. Tanti Cardinalis primus is fuit vitæ annus, qui Francisco Richeliéo, eius parenti, viro cum primis inclyto, apud Henrici Quarti, Lutetiam obsidentis, castra illuxit vltimus, quem eius natalem annum, & diem Lutetia in fortunatissimis suis annis, & diebus meritò numerat. Lectissimi eius pueri sollertissimam, & felicissimam educatio

Cardinalis natale tempus.

catio

cationem Susannæ Porteæ, ipsius matri, sanctissimæ matronæ, grato animo acceptam refert, atque in primis sibi ipsi gratulatur vniuersa Gallia, eius infinitis aucta, & cohonestata beneficiis. Nauarræum, Lexouiense, ac Sorbonium Collegia, hanc abstrusam Theologiam, has reconditiores litteras, hanc eruditam eloquentiam, qua summus Cardinalis inter paucos excellit, fecundo eius pectori, atque ori feliciter infuderunt. Eisdem ex fontibus hausta quoque fuit luculentissima, superiore de loco dicentis, illa disputatio, in æde Beati Andreæ Artiensis, cuius fama, & laus Augusti Senatus Parisiensis etiamnum ore celebratur. Hisce præcellentibus ingenij dotibus apud Principes viros commendatus mirificè, primùm

Cardinalis eruditio, & eloquentia.

Cardinalis Lussoniensium creatur Episc.

euectus est ad Lussonienses sacras Infulas, ante ætatem quidem sollemnis Canonum formulæ, sed longè post facultatem ad id munus idoneam, atque multò infra tanti hominis singularia merita. Quo loco, ac nomine confestim euaserit inter Episcopos Galliæ, ipsorum vniuersum Collegium suo mox iudicio apertissimè comprobauit, cuius honoratissimis suffragiis renunciatus est orator, qui pro Gallicano Clero vniuerso Lutetiæ diceret, in publicis Galliæ Comitiis, in quibus ab eo est habita incomparabilis illa concio, quæ Comitia, & Franciam vniuersam admiratione defixit, huius sæculi anno decimo tertio. Ad hanc præcellentis eruditionis, & eloquentiæ palmam, cùm vsu, & consuetudi-

ne ſummorum virorum de Gallia, & exteris gentibus, cætera omnia perpolitiſſimi hominis ſibi adſciuiſſet ornamenta, & decora, & euaſiſſet perquàm idoneus, qui maximis gerendis rebus admoueretur, nominatim euocatus ab Regina, Regis matre, Galliæ tum moderante gubernaculis, cœptus eſt illicò grauiſſimis Regni, & conſultandis, & adminiſtrandis rebus adhiberi. Ex ipſius ſollertiſſimis, & fructuoſiſſimis conſiliis cœperat conſtare, quanti pridem redimenda fuiſſet tam cordati hominis ſapientia, & opera, in gerendo periculosè fluctuantis Galliæ imperio. Sed mox incurrit tam luctuoſa tempeſtas, vt, paucis diebus, perquàm anxia, & lubrica euaderet Regiorum negotiorum omnis adminiſtratio;

Cardin. admouetur Regni rebus gerendis.

Quare Card. tantiſper abſtinet Regni negotiis.

tio:moderatiſſimus Præſul tēpori cedendum prudenter cenſuit, & publicæ nauis procuratione abſtinendum tantiſper, dum turbato rei publicæ mari ſua redirēt Alcedonia. Eius ab gubernaculis digreſſio, anteceſſoribus in eo munere pudorem, & pœnitentiam ſuæ functionis expreſſit, æqualibus admirationem, ac ſtuporem tanti hominis incuſſit, ſucceſſoribus, tametſi laudis exęquandæ auidis, deſperationem tamen induxit. Intereà, in traiectu fluminis Ligeris, ad Cæſareos Pontes, poſt nonnullam inter Regis, ac Reginæ cohortes velitationē, exacerbatos vtrimque animos, ſapientiſſimi Antiſtitis opera, mox deliniente Numine, illius pacis ab eodem Præſule inter diſſidentes partes auſpicatiſſimè iacta ſunt ſemina,

quæ

quæ altiſſimas radices, tota applaudente Gallia, deſubitò agerent. Optatiſſimæ pacis ea conciliatio, tum vniuerſæ Galliæ tranquillitatem, tum præcellentiſſimo Epiſcopo Coccinatorum Patrum conſortium, Cardinaliſque dignationem, tum apud Regum omnium æquiſſimum Regem, fideliſſimę, fructuoſiſsimæque operæ commendationem, gratiam, beneuolentiam peperit. Eodem ipſo tempore, noſtro Antiſtiti, ad Cardinalis infulas ſublato, ſupra Sacram Purpuram, obtigit ab optimo Principe Ludouico ea honoris ſimul, & oneris acceſsio, vti de regno ſumma quæque ipſius adminiſtrationi committerentur, &, in Sanctiore Conſilio, quem locum, & ordinem mallet occupare, ipſius arbitrio deferretur.

Lußenſ. Epiſcopus fit Cardinalis.

Card. fit Præſes Regij Conſilij.

tur.

tur. Is, ſimul atque ad illud au-
ctoritatis faſtigium prouectus
eſt, velut è ſublimi, & aperta
ſpecula ſeriò diſpexit vniuerſum
Regni ſtatum, atque ad recta
confirmanda, corrigenda praua,
ſtrenuè animum, & manum ea
mente adiecit, vti Gallico Im-
perio ſuus antiquus ſplendor
non reſtitueretur modò, ſed et-
iam exaggeraretur. Quas in cu-
ras intendenti aciem animi, oc-
currêre non pauca inſtauranda,
& eæ rationes, inter primas; qui-
bus locupletaretur Regium æra-
rium, ſimúlque priuatorum for-
tunæ augerentur. Iſtas verò ad
copias facilè cōciliandas, & quo-
niam ſua ſponte comparata eſt
maritimæ negotiationis exerci-
tatio, & quòd eam in vtroque
Galliæ mari, iacentem prorſus,
ac pænè deſertam videret, eius

reuo-

reuocandæ, atque toto Regno celebrandæ, firmiſsimíſque præſidiis conſtituendæ, ſibi prouinciam ſtudiosè aſſumſit. Inueſtiganti verò eam in rem laxos portus, & amplas Claſsium ſtationes, Morbihanus portus occurrit, & capaciſsimus, & apricus quàm maximè, ad Aremoricæ Britanniæ Auſtro obuerſum latus, ſed ab ædificiis vacuus, ab incolis deſertus, ac neutiquam exædificandus, niſi ſtructura quàm ſumtuoſiſsima. Sed ex obliqua regione portus Morbihani, maritimam oram luſtranti, incidebat in oculos Rupecula, in Pictonibus, ipſius inſtituto opportuniſsima, ſpatioſo ſcilicet, ac intra continentem reductiore, inſtructa portu, cuius oſtia ſi clauderentur, negotioſa Claſſis tutiſsimo receptu vallata continere:

tineretur. Verùm ea erat antiqua Perduellium ſtatio, quæ Regia imperia contumaciter eluderet, eáquepropter perplexæ deliberationis faceret Magni Cardinalis conſilia. Cuius anxietatis mitigandæ illa ratio viſa eſt idonea, ſi, quanta maxima poſſet, Cardinali conferretur auctoritas gerendæ rei maritimæ : quam in rem ſua ſponte Rex eum vtriuſque Gallicani maris optima lege Thalaſsiarchum renunciat, cuius tituli occaſio gentilitiæ Cardinalis teſſeræ ancoram attexuit, aduentitium eius ſymbolon. Per eam conſultationem audiuntur nuncij de comperta certis indiciis coniuratione, in ipſum etiam Regis caput, & regnum totum apud Britannos Aremoricos, cuius mali eveſtigiò opprimẽdi, Rex, ſumto in comitatu Cardinale,

Card. Gallici maris vtriuſque Thalaſſiarchus.

nale,Nannetas confeſtim accurrit, ibique prudentiſsimo Antiſtitis vſus conſilio,paucis coniuratorum ſupplicio multatis,naſcentem peſtem in ipſo eius exortu derepentè exſtinxit. Ea feliciter defunctus opera, redit Maximus Præſul, ad intermiſſam de Rupecula Vrbe deliberationem,adhibito in eam Regio Conſilio,cuius,tametſi frequentiſsimi, nullæ audiebantur ſententiæ, niſi quæ multis rationibus,ac maiorum exemplis, contenderent,nihil in præſentia aduersùm Rupeculanos eſſe moliendum. Sic dixerant, ſic dicta confirmarant,vniuerſi propè Senatus Patres, vt aduersùs ea quidquam proloqui,& arduum, & propè temerarium eſſe videretur. Verba tamen fecit vnus poſt omnes, de cauſa damnata

Cardi

Card. rationibus euincit obsidendã Rupeculam.

Cardinalis, & ea in medium attulit, vniuersóque Consilio ita penitùs probauit, vt omnes Patres, contrà atque proximè senserant, ad decernendam Rupeculæ obsidionem volentes, & alacres adduceret. Huic totius Senatus suffragiis decretæ sententiæ, suum tantò validiorem calculum adiecit pòst paullò ipsa etiam necessitas, cùm, Bukinghamio duce, Britannica Classis Cracinę Insulę infesta arma intulit, Rupeculam, si posset, sibi vindicatura, vti, ea regione reuulsis claustris, in totam Galliam sibi aperiret ostium: quibus hostibus non intercluderetur in hoc Regnum aditus, eos vltrò inducente in Galliam Rupecula, nisi hęc Vrbs, armis occupata, in Regiam assereretur potestatem. Atque, vt huic obsidendæ

dendæ perduellis ciuitatis consilio, ne Diuinum quoque suffragium deesset, sanctissimè posteà asseuerauit Ludouicus, vt suprà ostendimus, ægrotanti sibi diuinitùs esse injectam mentem, &, ex ea mente, ardentem cupiditatem obsidendæ, ac expugnandæ, Diuini cultus promouendi studio, Rupeculæ. Quæ rationum, ad illud confirmandum decretum, accessiones luculenter euincerent, singularem Maximi Antistitis in ratiocinando perspicacitatem, & in præcauendo prouidentiam, cui maturè venisset in mentem, vt compararetur obsidio, quæ si tantisper differretur, sera esset posteà omnis de ea expedienda cogitatio. Paucis igitur diebus, quàm exscensionem fecerat Britannus in Cracinam, Regiis castris ad Rupeculam

peculam poſitis, Regi terra, marique Legatus Magnus Antiſtes rem ſtipendiariam, annonariam, & caſtrenſem omnem rationem ita conſtituit, vti neque ordinatiora, neque copioſiora, neque munitiora Caſtra vſquam vel viſa, vel audita fuerint. Occludendis Perduellibus ſtrenuam quidem operam nauabant inſignes munitores, illis corona cingendis validę cohortes; eiſdem appetendis experientes, & induſtrij machinarij, & iaculatores incumbebant ſtrenuiſsimè: ſed longè imbecilliore conatu, & opera ſuam vim exercerent, niſi, velut Archimedis ad Syracuſas, ſic Antiſtitis ad Rupeculam mens, oculi, manus hæc omnia commoueret, ac velut anima quadam, & motu imbueret. Fuerint Ludouici fortiſſimę

Card. expugnãdæ Rupeculæ potentiſſ. machina.

Legio

Legiones aduersùs Rupeculanum, & Britannum hoſtem, totius Galliȩ validiſsimus velut gladius, & ſcutum munitiſsimum: reuerà tamen Magnus Richeliéus fuit ille ipſe Marcellus, qui gladij mucronem generoſiſsimè intentaret, ac defigeret: fuit ille ipſe Fabius, qui ſcuti vmbonem hoſtium petitionibus valentiſsimè opponeret. Inuidêre tamen ſapientiſsimo, & fortiſsimo Cardinali hanc obſidionalem gloriam æmulorum non pauci, ſed maligniore, quàm ingenioſiore inuidiȩ genere, vti, quòd ſe perfecturos non ſperarent, ſi, pro Cardinale, in ea prouincia gererent, ij nollent poſſe ipſum perficere, & non valere, idemtidem dictitarent. Capiundæ Rupeculæ illud Richeliéi temerarium inſtitutum, merum

Cardinali obtrectant æmuli.

rum lapidem Lydium fore aiebant, cuius ad contumaciam hebeſceret, & ad inuictam duritiem obtunderetur adeò celebrati ingenij ea vis acerrima. Quantumcumque porrò immortalibus Cardinalis obmurmurauerint laudibus maleuoli, conſtat, & æternùm conſtabit vniuerſæ Galliæ, adeóque etiam toti Chriſtiano orbi, domitis eius conſilio, ac fortitudine Rupeculanis, altiſſimam huic Regno conciliatam quietem, eius prorogatos fines, affirmatum ſtatum, reſtitutam in integrùm Eccleſiam, cohoneſtata arma, expolitas artes, atque his perpetrandis facinoribus, ipſum vnum Cardinalem, longè plura, & maiora perfeciſſe, quàm ſui omnes in eo munere anteceſſores inchoarint, vel etiam cogitarint.

rint. Verùm clarissima,& potentissima luce veritatis demùm victus ingratus inuidorum animus, æquitati concedet, ac lubens, voléńsque conspirabit in tanti Antistitis exaggerandam gloriam, dignissimum quidem illud, sed tenuissimum tamen meritorum ipsius præmium. Cuius gloriæ nullum sibi, neque modum, neque finem præstituet Cardinalis, quoad suum Regem, Christiana, Bellica, Politica virtute, & laude ornatissimum, ad id fastigium honoris euexerit, vnde ipsum Regibus vniuersis absolutissimum Regiæ claritudinis archetypon ad imitationem ostentet: póstque Alexandri ampliores victorias, pacem, Augusti pace tranquilliorem, huic Regno conciliet, qua feliciter fruenda, florentem posterita-

tem ſibi ſufficiat, ſuam Luparam hoſtium ſpoliis, & trophæis, partorum Regnorum diadematis, & ſceptris refertiſsimam relinquat, vti ſua æternitati memoria, pietate cælis, iuſtitia terris, gloria Galliæ conſecrata, hiſce Regiis gradibus ſubuectus aditum ſibi patefaciat ad Superos, in ſempiterni Regis immortale, beatumque conſortium. Quam, prouehendæ Maieſtatis Regiæ ad ſumma quæuis decora, ſuſceptam ingentibus animis, nec minoribus viribus prouinciam, ſcienter, fortiter, ac feliciter exſequenti, Maximo Cardinali, qui deinceps malignè velit obtrectare, de ingenuis Francis ſperamus fore neminem, omnibus iam ea cogitatione lubentiſsimè occupatis, vt aduertant, & demirentur, in quantam bellicæ virtutis,

tutis, ac prævalidæ ditionis gloriam, & dignationem, tum Gallorum Rex, tum Gallicum nomen vniuersum, paucis mensibus, incredibili Cardinalis sapientia, & fortitudine, apud vniuersos Europæos processerit. Hugonotici Nominis, non tota quidem Maiorum Gentium decuria, sed ambitiosioris ingenij nonnullus fortè globus, Cardinalis infinita prudentia, & magnanimitate, factum ingemuerit aliquando, vt omnis Hugonotica factio, summo suo quidem bono, sed nulla sua penitùs gloria, lubens, volénsque in Regiam clientelam, plenámque ditionem transierit. Sed huiusce transitionis solidum, proprium, & immortale decus, quò minùs sibi manu assereret, ac vindicaret, diutissimè illud ostentante,

Card. Hugonotis gloriosam viã aperit, vt ipsi se sua sponte dedant Regi.

ac deferente Cardinale, illa hominum Natio inanis ambitionis multa cæcitate perpetuò eſt prohibita. Immeritò igitur eius corporis homines indoluerint, velut ſe ſua poſſeſsione deiectos, & hanc palmam Cardinalis virtutibus inuiderint, quam ab eo liberaliter delatam ſtolidè aſpernati ſint, & cuius indigni ab ſapientioribus habiti, eius ipſi minimè ſolliciti, ſed, cupientes alterius cuiuſpiam, videri maluerint. Quò minùs Rupeculani, Nemauſenſes, Albimontani, & Rebellium cæteri, humaniſsimo Regi ſe ſponte pridem dederent, & in eamdem iuſtiſsimæ obſequentiæ, ac tutiſſimæ clientelæ ſubirent nauem, in qua verſarentur reliqui toto Regno degentes Hugonoti, cauſam prætexebant inaniſsimam, Re-

gis

gis,Principum,Regiorum Ministrorum priuatum quoddam, & infinitum erga ſe odium, vnde ſibi certiſsima ingrueret pernicies, ſimul atque in Regiam poteſtatem infirmiores viribus conceſsiſſent. Obtenti falsò eius odij ratio tam non erat dubia, vt,ſi vel ipſi rem non vulgarent Hugonoti,tamen tota non conſtaret Gallia, meram, & malignam eſſe calumniam, & perpetuandę Rebellioni accerſitam de induſtria occaſionē, obductámque ſuis factis ſimulati recti adſcititiam ſpeciem. Enimverò Hugonotorum quilibet minimè malus,ſi,remotis arbitris,ei digitum premeres,eveſtigiò profiteretur, illa iactānda paſsim, & exaggeranda calumnia, Caluinianam plebeculam in fœdere, ac ſtudio Partium contineri,eius

odij, & quæ inde ſequerentur, inculcando ſermone, triumphare, ac regnare in cōciliabulis factioſiſsima quæque Hugonotici Nominis capita, quo ex nomine reuulſa huiuſmodi larua, ad meram contumaciæ, ac Rebellionis appellationem, & rem, Caluinianis eſſent reditura omnia. Hugonoticam igitur hanc machinam, malignè comparatam perpetuò auertendæ ab officio in Principem ignaræ plebeculæ, Cardinalis ſibi ſumſit non ſubruendam cuniculis, ſed palam intentata eiuſdem generis machina potentiore ſubuertendam. Qui in æde, in conſilio, in compitis, in menſa, in caſtris, vbiuis gentium, Regem omnium humaniſsimum, & beneficentiſſimum, ad populum ſic traducere conſueſſent, quaſi ſuffertum

Card. ſumma & aperta arte Hugonotos ad deditionem adigit.

adeò,

adeò maleuolentiæ in omne ipſorum genus, vt animum adiicere numquam poſſet, ipſorum cuiuſquam gratia quidpiam cupere, aut facere: eos Cardinalis, tum vniuerſos, tum ſingulos, & Regiæ, & ſuæ beneuolentiæ, ac beneficentiæ, tam frequentibus, tam luculentis, tam potentibus argumentis occupauit, compleuit, & obruit, vt munificentiæ admiratione, ac ſtupore penitùs defigeret. Atque, vt eſt longè cordatiſsimus, ingentia hæc comitatis, & liberalitatis officia eis tempeſtatum conditionibus, & momentis illigauit, & incluſit, vt exprimentis ea neceſsitatis omni ſuſpicione abſolueret. Iſta incomparabilis viri magnificentiſsima humanitate, ac beneficentia, veluti nouo quodam, & pleniore ſole colluſtratus Hu-

gonoticus populus, fatiſcentibus mox doli, ac calumniæ tenebris, ſeipſe collegit, falſitatem diſpexit, ex illo ſuo errore infami emerſit, &, atroci Pręſidum fraude liberatus, dignam ſe, dignam Regiis moribus, de ſuo Principe exiſtimationem animo imbibit. Hac omnium artium ſollertiſsima, & potentiſsima arte, idoneo loco, tempore, ac modo, ac ſcientiſsimè ab incomparabili viro interpoſita, tot in ſententia obfirmatorum capitum conſpirantibus animis contracta, tam ſollemnium ſacramentorum deteſtationibus religiosè ſancita, adeò potentium fœderum, ſocietatum, affinitatum opibus affirmata Rebellio, immodici æſtus violentia diffluentis, & contabeſcentis, niuis inſtar, derepentè, ac ſua ſponte, apud Rupeculam

peculam, & finitimos ei Hugōnotos, concidit, ſoluta eſt, euanuit, idipſumq́ue breui tota Gallia futurum ſperamus, infinito, & immortali cum decore, ac merito omnium, qui vnquam Sacra Cocco amicti ſunt, glorioſiſsimi Cardinalis.



APPRO

APPROBATIO.

CApta Rupecula, Cracina seruata, à P. Philiberto Moneto, nostræ Societatis Sacerdote, descripta, nihil nec Catholicæ Fidei, nec probis moribus repugnans continet: res autem bello fortissimè, ac felicissimè gestas complectitur, Latino sermone luculenter expressas, quibus vulgandis apud exteras gentes, Christianissimi Regis, & vniuersæ gentis Gallicæ nomen magnoperè illustretur. Quapropter, qui, Præsidum iussu, Opusculum hoc perlegimus, tres de eadem Societate Sacerdotes, dignum censemus, quod typis publicè consignetur. Datum Lugduni octauo Calendas Februarias CIↃ IↃC XXX.

IOANNES DE SAINT AVBIN.
LVDOVICVS IANINVS.
CLAVDIVS DECRET.

FACVLTAS Prouincialis.

EGo STEPHANVS BINETVS, in Lugdunenſi Prouincia Societatis IESV, Præpoſitus Prouincialis: iuxta Priuilegia, eidem Societati conceſſa, ab Chriſtianiſsimis Regibus, Henrico Tertio, decimo Maij, ſuperioris ſæculi anno octogeſimo tertio: Henrico Quarto, huius ſæculi anno ſexto, viceſimo Decembris: Ludouico Decimo tertio, nunc regnante, eiuſdem ſæculi anno vndecimo, Februarij menſis decimo quarto: quibus prohibentur omnes Bibliopolæ, libros ab Noſtræ Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum ipſius facultate, typis mandare: poteſtatem facio Ioanni Caffin, & Franciſco Pleignard, Lugdunenſibus Bibliopolis, excudendi, & publicè diuendendi, *Captam Rupeculam, Cracinam ſeruatam, auſpiciis, ac ductu*, &c. à Patre Phili

Philiberto Moneto, noſtræ Societatis ſacerdote, deſcriptam in proximos ſex annos. Ex eorumdem porrò priuilegiorum auctoritate, denunciandis inibi ſancitis pœnis, veto, ne quis alius Bibliopolarum eumdem librum prelo ſubiiciat, aut venalem habeat. Datum Lugduni, octauo Calendas Februarias, CIↃ IↃC XXX.

STEPHANVS BINETVS.

